# QUAESTIONES METRICAE DE EPICIS GRAECIS RECENTIORIBUS. ACCEDUNT CRITICA VARIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT



RUDOLFUS KEYDELL

MAGDEBURGENSIS.

DIES PROMOTIONIS: DIE XIV. M. OCTOBRIS MDCCCCXI.

Rettulerunt ad ordinem de hac dissertatione

**U. de Wilamowitz-Moellendorff** Dr. Prof. publ. ord.

**E. Norden** Dr. Prof. publ. ord.

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE)
TYPOGRAPHUS UNIVERSITATIS, BEROLINENSIS, LINIENSTR. 158.

## Pars prior.

# De hiatu.

Quibus rationibus in hiatu admittendo epici Graeci usi sint, sive artem ab Homero acceptam magis magisque perpoliebant usque ad mollitiem illam, qua Nonniani versus aures audientium captant, sive quae illic toties admissa videbant, eadem sibi non neganda esse arbitrati Homericam illam licentiam etiam excedebant, ita explicare in animo est, ut id solum hiatuum genus tractem, cui proprie hoc nomen datur, vocales longas in arsi productas aut in thesi correptas omittam. Atque quo facilius perspiciatur, quid nobis propositum sit, nomina poetarum subscribam, quorum carminum in hac dissertatione rationem habere volui; quae inde a Xenophanis temporibus usque ad exitum quarti p. Chr. n saeculi pertinebunt. Praeter Homerum igitur et Hesiodum ceterosque vetustiorum temporum poetas, qui cyclici appellantur, omnes epicos haec disputatio complectetur, qui quidem nondum Nonniana arte utantur[1]). Nonnum enim et qui post Nonnum fuerunt, excludimus, quoniam horum artem exponere proprii operis est. Sed ex iis quoque carminibus, quae ante illius aetatem composita sunt, omittenda esse censui Gregorii Nazianzeni poemata, quippe quae in patrologia Migniana ita edita sint, ut, quid codices probi tradant, sciri nequeat; tacere autem malui quam falsa proferre, praesertim cum nova expectetur editio. Consulto denique omisi epigrammata, non ea modo, quae in lapidibus servantur, sed etiam ea, quae anthologiis traduntur, nec minus oracula Sibyllina; quod et eo consilio feci, ne rem quam

---

[1]) Matronem, ut plane Homericum, omisi.

tractarem nimis impeditam redderem, et eo, ne pessimorum versificatorum sordes curarem. Sed iam sequatur carminum, quae contuli, editionumque, quibus usus sum, tabula.

Xenophanis, Parmenidis, Empedoclis reliquiae, edid. Diels in Fragmente der Vorsokratiker.

Panyassidis et Thebaidis Antimachi fragmenta, edid. Kinkel in Epic. Graec. fragm.

Archestrati reliquiae, edid. Brandt in corpusculo poesis epicae Graecae ludibundae.

Timonis fragmenta, edid. Diels poet. philos. p. 184 sq.

Aratus, edid. Maass.

Callimachus, edid. de Wilamowitz-Moellendorff; fragmentorum editione usus sum Schneideriana; accedunt Hecalae fragmenta Vindobonensia a Gomperzio edita et Cydippae Oxyrhynchi inventa (Oxyrhynch. Pap. vol. VII p. 25 sq.).

Bucolici Graeci, edid. de Wilamowitz-Moellendorff.

Apollonius Rhodius, edid. Seaton.

Eratosthenis carminum reliquiae, edid. Hiller.

Euphorionis fragmenta, edid. Scheidweiler (dissert. Bonn. 1908).

Carmen Pseudophocylideum, edid. Crusius in anth. lyr.[2])

Nicander, edid. Schneider.

Fragmenta poematum rem naturalem vel medicinam spectantium, quae in poetarum bucolicorum et didacticorum corpore Didotiano a Bussemakero edita sunt. E quibus Andromachi elegiam emendatiorem edidit Schneider in Philologi t. XIII p. 25 sq.

Dionysius Periegeta, edid. C. Mueller in Geogr. Gr. min. t. II p. 102 sq.

Oppiani Halieutica, edid. Lehrs in Poet. bucol. et did.

Oppiani Cynegetica, edid. Boudreaux.

Marcelli Sidetae fragmenta edid. Maximilianus Schneider in comment. Ribbeck. p. 115 sq.; accedunt carmina duo in lapidibus servata, quae Kaibel edidit Epigr. Gr. n. 1046.

Carmen de viribus herbarum, edid. M. Haupt (Opusc. t. II p. 475 sq.)[3]).

---

[2]) Codicum lectiones quasdam attulit Rossbroich in dissertatione, quam de Pseudophocylideis scripsit (Muenster 1910).

[3]) Codicem Vindobonensem denuo contulit Siegfried Mekler; cf. Wiener Studien XXXII p. 85.

Maximi et Ammonis reliquiae, edid. Ludwich.

Antiochus, edid. Cumont in catol. cod. astrol. Gr. I p. 108 sq.

Dorotheus, edid. Kroll in catal. cod. astrol. Gr. VI p. 91 sq.

Manethonis apotelesmatica, edid. Koechly.

Oracula Chaldaica, quae collegit Kroll in dissertationum philologicarum Vratislavensium tomo septimo.

Oracula, quae collecta sunt a Gustavo Wolff, qui Porphyrii de philosophia ex oraculis haurienda librorum reliquias edidit anno 1856.

Orphei Argonautica, hymni, Lithica, fragmenta; edid. Abel.

Quinti Smyrnaei posthomerica, edid. Zimmermann.

Apollinaris metaphrasis psalmorum. Usus sum editione Sylburgi (a. 1596); psalmos inde a primo usque ad octavum apparatu critico instructos edidit Ludwich in libellis duobus academicis Regimontanis annis 1880 et 1881.

Fragmenta minora et anonyma suo quidque loco commemorabuntur. Rhiani Cretensis, Alexandri Aetoli, Parthenii fragmentis qui paginarum numeri adduntur, ad Meinekii analecta Alexandrina referuntur.

Haec de materia huius dissertationis praefari volui; iam ad rem venimus. Atque cum hiatus in thesi aut brevi vocali non elisa aut longa vocali vel diphthongo non correpto efficiatur, primum de brevibus vocalibus agemus, deinde de longis. Omittemus autem interim eos hiatus omnes, qui ante vocabula ϝ littera olim instructa admittuntur. His enim vocabulis etiam a recentioribus exceptio datur; quare nunc quidem neglecta postea paucis absolventur.

Atque apud Homerum tres sunt legitimi hiatus sedes; saepissime enim in caesura trochaica pedis tertii et in diaeresi quarti, rarius post primum pedem breves vocales non eliduntur. Qua licentia etiam recentiores poetas uti solitos esse Eduardus Gerhard cognovit, qui in libro illo, qui inscribitur 'lectiones Apollonianae', non solum post quartum pedem, quod Hermannus iam cognoverat, sed etiam duabus illis in sedibus, quibus ille in clarissima de aetate Orphei dissertatione variis modis librariorum quos putabat errores tollere conatus erat, multos quidem e recentioribus hiatum admisisse demonstravit. Neque fugit illum didacticorum poetarum artem ab epici carminis ratione cum in aliis rebus tum in hiatu

diversam esse, hic enim multa licere, quae illic admittere nefas esset, magna exemplorum copia docuit. Attamen neque in didacticis ipsis discrepantiam quandam esse cognovit neque, quae in codicibus essent lectiones, tunc fere satis accurate notum erat; quo factum est, ut de multis rebus nobis ab illo dissentiendum sit idque eo magis, quod ne ille quidem satis cavit, ne remediis tangeret quae essent sanissima. Ad hoc vero vitium etiam proniores ei se praebuerunt, qui post illius tempora ea, de quibus agimus, carmina ediderunt. Denuo igitur examinare, quas quisque in hac re leges habuerit poetarum, ne ad veras quidem lectiones restituendas inutile fore spero.

Atque in tertii pedis caesura trochaica hiatu abstinuit ex vetustiorum numero, quod quidem videamus, Parmenides, e recentioribus Nicander — nam Ther. v. 47 optativus (*ὀδμήσαιτο*), cum praecedat aoristus qui empiricus dicitur, ferri non potest, sed recipiendum est, quod in plurimis codicibus legitur, *ὀδμήσηται* — Moschus, Bio, Dionysius Periegeta — nam v. 917, qui in compluribus codicibus non legitur, a Muellero iure uncis inclusus est — Oppianus qui Halieutica scripsit, Marcellus Sideta, is qui librum quartum Manethonianum, is denique qui Lithica scripsit. Nam quod v. 763 legimus

*ἑσσύμενος τάδε πάντα ἀμήχανά φησι πιφαύσκειν*

hoc ita corruptum est, ut de hiatu nihil statuere liceat.

Habent hiatum in tertia sede Xenophanes (14 *ἐσθῆτα ἔχειν*), Empedocles (17, 37 *ἀπόλοιτο, ἐπεί*; neque enim dubium est, quin hunc locum Diels recte restituerit; 22,1 *ταῦτα ἑαυτῶν*), Aratus (951 *ποταμοῖο ἐβάψατο*; notum est talis formae vocalem extremam ab epicis non elidi), Cleanthes in hymno Iovis apud Stobaeum I p. 25 W. l. 13, p. 26 l. 7, quibus locis hiatus minime tollendus erat, Callimachus bis in hymnis (III 8, IV 264), numquam in epigrammatis aut fragmentis — nam frgm. 127 a Wernickio correctum est — Theocritus (7, 8; 22, 116; 24, 72; correcti sunt vv. 13, 24; 12, 32; 24, 27), Apollonius (I 543. 1176. II 338. III 737, in genetivis II 957 (*Τρικκαίοιο*), III 263 (*Φρίξοιο*), 492 (*Αἰήταο*), in dativo I 332 (*νηί*), Numenius (frgm. 2. 6 Birt), Parthenius p. 278, si modo recte hic *Βριαρεῶο* pro *Βριάρεω* scriptum est, is denique, qui carmen illud scripsit, cuius reliquiae a Wilamowitzio editae sunt Berliner Klassikertexte V, 1, p. 71 (v. 61 *ΝΤΙ ἀληθείην*); ex iis, qui post Chr. n. fuerunt, Andromachus; cf. v. 17

*δρυΐναο*, quod Schneiderus restituit, v. 33 *στροφάλιγγι*, v. 51 *ἐπιφράσσοιτο*, nec tollendus hiatus est v. 97, qui in editione Galeni Kuehniana sic scribitur:

*ἡνίκα δὲ σκολιαί γε ἀπορρείουσιν ἄκανθαι*
*καὶ κακὸν οἰδήνῃ νῶτον ὕπερθεν ἔχις.*

Bussemakerus et Schneiderus pro *γέ* scripserunt *μέν*, quod hoc loco minime aptum est. Rectius, puto, *τέ* scribetur.

Sed his Andromachi locis, quibus in tertio pede hiatus ipsa memoria traditur, addendus est v. 43, in quo idem hiatus emendatione restituendus esse videtur. Legimus enim inde a v. 41 haec:

*εἰ δέ που ἢ κακοεργὸν ἴδοις ἐπὶ σώμασιν ὦχρον,*
*ῥύσαι' ὑδρηλὴν νοῦσον ἐπεσσυμένην*[4]*·*
*καὶ φαέων ἀμβλεῖαν ἄφαρ λάμψειεν ὀπωπὴν*
*τῷ, καὶ ἀρχομένης οὐκ ἀλέγοις φθίσιος.*

Versum 43 ut sanum et bonum Schneiderus nulla mutata littera talem edidit, qualis editus erat a Bussemakero. *Λάμπειν* enim hic vi transitiva praeditum esse, ut declararet ‚splendescentem reddere', *τῷ* autem voculam medicamentum significare putabat, quasi esset 'hac re', denique subiectum verbi *λάμψειεν* esse *τὶς* pronomen indefinitum, quod saepius in hoc sententiarum genere omitti recte monebat. Quae falso statui mihi videntur omnia. Ac primum verbum *λάμπειν* eam notionem, quam habere posse illi videbatur, umquam habuisse non possum facere ut credam. Neque ullum exemplum inter ea, quae in Stephani thesauro afferuntur, aut inter ea, quae Lobeckius dedit ad Sophoclis Aiacem[3] p. 78, inveni, quo idem atque *λαμπρύνειν* verbum illud valere posse cognoscerem. Nomina enim illa, quae in accusativum declinata cum verbo illo coniunguntur, aut fulgorem ipsum qui efficitur, aut rem quae cum fulgore proditur, declarant. Cuius generis etiam ea sunt, quae maiore quadam orationis audacia a poetis finguntur, velut Euripidis illud *ἅρματα μὲν τάδε λαμπρὰ τεθρίππων Ἥλιος ἤδη λάμπει κατὰ γῆν* (Ion 83), quod dictum est pro *λάμπει σέλας ἁρμάτων*, vel illud, quod in Helena legitur v. 1131, *δόλιον ἀστέρα λάμψας*, et Lycophronis illud *λάμψῃ κακὸν φρύκτωρον* (Alex. 345). Atque idem cadit in composita, velut *ἀναλάμπειν* et *ἐκλάμπειν*[5]), quibuscum *φῶς*, *πῦρ* similiaque rem

---

[4]) Legebatur *ῥύσαις*. Emendavit Wilamowitzius.

[5]) *Ἐλλάμπειν* et *καταλάμπειν*, quae notionem illustrandi habent, huc non pertinent.

fulgentem quae efficitur declarantia saepius coniunguntur. Sed oculi afficiantur oportet, ut splendorem suum recuperent. Verbum *λάμπειν* igitur ea qua Schneiderus putabat notione hic dici non poterat. Nec magis recte ille dativo *τῷ* medicamentum significari existimabat, quod si declarare Andromachus voluisset, feminino genere (*τῇ* scil. *γαλήνῃ*) uti debuit, quo usus est vv. 25 et 45. Denique tertiam verbi personam ad eundem, medicum nempe[6]), pertinere, quem et antea et postea secunda verbi persona usus poeta adloquitur, nimis molestum est. Quae omnia suadent, ut versum 43 hunc in modum emendemus:

*καὶ φαέων ἀμβλεῖα ἄφαρ λάμψειεν ὀπωπή.*

In versu autem qui subsequitur hiatus tollendi causa *δέ* particulam post *καί* Schneiderus addidit. Melius cum Wilamowitzio scribes *τῷδε*, ad quod facile subaudimus *ᾧ ἂν δῷς τὴν γαλήνην* vel simile quid. Et potuit Andromachus suo iure sola hac vocula eum, cui medicamentum datur, significare, quoniam Nicander saepius hominem veneno corruptum pronomine *ὅ* nullis adhibitis definitionibus significaverat; de qua re velim conferas, quae Schneiderus ad Alexiph. v. 16 annotavit.

Praeterea hiatus in tertio pede invenitur in carmine Pseudophocylideo (v. 189), apud Maximum (v. 263 *Φαέθοντι ἢ εὐσκόπῳ*, v. 562 *Ἑρμείαο ἢ εὐεάνου*; contra v. 237 *ἐπὶ πλευρῇσι* recte in *περὶ πλευρῇσι* Hermannus mutavisse videtur, quoniam *ἐπὶ πλευρῇσι μογῆσαι* vix potest dici), in carmine de viribus herbarum, cuius versum 35 in codice sic scriptum habemus:

*σύγχριε τὸν κάμνοντα ὅλον μέλλοντα καθεύδειν.*

Quem Hauptius, partim Hermannum secutus, sic edidit:

*χρῖε δὲ τὸν κάμνοντ' οὖλον μέλλοντα καθεύδειν*

deleta *δέ* particula in versu praecedente, quem sic scripsit:

*κλῶνας ἑλὼν μῖξον ῥοδίνῳ, ζέσσας ἐνὶ χύτρῃ,*

cum in codice sit *ζεσασδενικυθρῃ*[7]). At primum manifestum est non recte particulam transpositam esse; an credimus prius ramos coquendos esse, tum rosaceo miscendos? Et documento est scholium, quod haec habet: *κλωνία λαβὼν μῖξον μετὰ ῥοδίνου καὶ ποιήσας ζέσαι εἰς χύτραν σύγχριε τὸν πονοῦντα ὅλον ὡς ὑπάγει κοι-*

---

[6]) Ceterum ad Caesarem etiam haec pertinere videntur.

[7]) Mekler, Wiener Studien XXXII p. 86.

*μᾶσθαι.* Quo simul docemur *κάμνοντα ὅλον* non tangendum esse reiciendamque esse etiam Kaibeli coniecturam, qui in Hermae t. XXV p. 106 hoc proposuit:

*ζέσσας δ' ἐνὶ κύθρῃ*
*σύγχρισον κάμνοντ' ὀλίγον,*

quod recipi vel articulus vetat deletus. Immo tradita verba servanda sunt omnia; nam ne *ι* quidem longum ante vocalem in medio verbo correptum offensioni esse debet in hoc carmine, in quo *μειοῦσθαι* verbi syllabam primam saepius corripi videamus.

Denique in libris Manethonianis II, III, VI neque v. 461 libri secundi, ubi habemus *Ἑρμείαο ἀπορρέῃ*, neque v. 122 libri sexti, ubi est *Φαέθοντι ἀριγνώτῳ*, Koechly debuit temptare[8]. Nec minore iniuria ille in Quinto Smyrnaeo hiatum ex hac sede eicere studuit. In quo quindecim huius generis versus sunt, e quibus unus X 211 iure correctus est; hic enim *τό* aptius videtur quam *ὁ*. Ceteros non est cur tangamus. E quibus septem in Zimmermanni editione integri leguntur [I 699 *κυλινδομένοιο, ὁ δ'(ἑ)*, VIII 225 *μεγάλοιο ὁ δ'(ἑ)*, XI 26 *τοκετοῖο ὅσην*, X 171 *κελάδοντι ὅς*, X 204 *Ἡρακλῆι· ὁ δ'(ἑ)*, III 386 *πονέοντο ἀπείριτον*, III 168 *φεύξεσθε ἀμείλιχον*]; reliquos partim Hermanni aut Koechlei, partim suis coniecturis usus ad severiorem normam redigere conatus est. Atque quinque versus (I 468. 558. II 59. V 152. XII 52), in quibus imperativi in syllabam *σθε* exeuntes ante caesuram leguntur, infinitivo pro imperativo posito sanare voluit; quasi Quinto non licuisset in imperativo, quod licebat in indicativo (cf. III 168)[9]. E duobus qui restant versibus alter (XII 164 *φορέοντο ἐπὶ χθόνα*) defenditur v. 386 libri tertii; alter qui in codicibus sic scriptus legitur (XII 301):

*βουλοίμην δ' ὑπ' Ἄρεϊ ἐυκλειῶς ἀπολέσθαι*

facile emendatur *Ἄρηϊ* pro *Ἄρεϊ* reposito, cum qui hiatum tollere studeant, aut *Ἄρει* formam Quinto non usitatam recipere aut ordinem verborum audacius evertere cogantur[10].

---

[8]) Contra recte ille VI 208 *γένονθ', οἱ δ' αὖ* pro *γένοντο ἰδ' αὖ*. Item correcti sunt vv. II 209, VI 495. 717.

[9]) Ceterum XII 52 imperativus ita praecedit, ut perquam ingratus sit sequens infinitivus.

[10]) De v. XII 414 non satis liquet, cum hunc locum corruptum esse variis librorum lectionibus demonstretur.

In Orphei denique Argonauticis duo sunt versus in tertia sede hiantes; quos Abelius Hermanni coniecturis corrigere non debebat. Falso enim illum v. 783 (*εἰς χεῦμα ἐυρρείτου ποταμοῖο*) *χεύματ(α)* scripsisse versus docent 189 (*Ἀμφρύσου παρὰ χεῦμα*) et 258 (*ποτὶ χεῦμα*); quod vero v. 1227 *τάπερ* pro *ἅπερ* posuit, id certe necessarium non est. Ceterum versus 603

*ὄφρα κε μειλίξαιντο εὐοινίστοις ἐπιλοιβαῖς*

facile emendari videtur *ο* vocali elisa; certe *μειλίξαιντό οἱ εὐοίνοις*, quod Hermannus scripsit, accipi numerorum ratio vetat.

Nec magis recte in hymnis Orphicis Abelius Hermannum secutus aut 34, 2 *ἀγλαότιμος* pro *ἀγλαότιμε* aut 34, 6 *χοροποιὸς ἑκηβόλε* — qua in voce etiam *Ϝ* fuit apud Homerum — pro *χοροποιέ* scripsit.

Ingens vero hiatuum copia apud Apollinarem est, apud quem quinquaginta huius generis versus inveniuntur. Haec scilicet tanta erat multitudo, ut non possent non agnoscere licentiam ei, qui de Apollinaris arte metrica scripserunt, Scheindlerus, qui in annalibus gymn. austr. anni 1878, p. 904 sq. de hiatu apud Nonnum eiusque sectatores disseruit, et Fridericus Ritterus, qui de Apollinaris Laodiceni legibus metricis unum ante annum libellum edidit[11]. Sed cum uterque et multa praetervideriṭ et nonnulla receperit, quae recipienda non erant, in annotatione indicem locorum apponendum esse censui[12]; de quibusdam vero versibus pluribus verbis disserere non inutile videtur esse.

Ac primum v. 21, 29, qui sic scriptus legitur in editionibus:

*λάλις ἐμεῖο λάρυγγι ἐμεῦ νυ κεκόλληται ἐσσήν*

corruptum esse nemo non videt. In versione virorum LXX legimus (v. 16): *καὶ ἡ γλῶσσά μου κεκόλληται τῷ λάρυγγί μου.* Quo adminiculo usi hunc in modum versum illum restituimus:

*γλῶσσα δ' ἐμεῖο λάρυγγι κεκόλληται λάλος, ἐσσήν.*

Similiter 38, 2 *γλῶσσαν πολύμυθον* Apollinaris dixit, ut epitheto ornaret quod nudum in versione virorum LXX legebatur sub-

[11]) Programm des Progymnasiums zu Tauberbischofsheim.

[12]) 5, 2 — 6, 14 — 16 — 15, 1 — 17, 44 — 54 — 91 — 30, 1 — 20 — 33, 21 — 36, 43 — 38, 32 — 39, 25 — 41, 15 — 44, 15 — 54, 16 — 55, 5 — 58, 38 — 59, 20 — 22 — 61, 5 — 70, 24 — 81, 4 — 7 — 88, 19 — 90, 34 — 95, 21 — 96, 9 — 26 (interpolatus?) — 100, 2 — 104, 7 — 9 — 50 — 107, 23 — 108, 36 — 109, 10 — 112, 10 — 115, 12 — 117, 1 — 39 — 54 — 55 — 56 — 58 — 128 — 134, 23 — 135, 37 — 136, 17 — 141, 4 — 146, 1.

stantivum. — Deinde emendatione hiatus tollitur 102, 41, quem versum in editione Sylburgi sic scriptum legimus:

*οἷς τ' οὖας μεμέλητο ἐπ' ἀθανάτοιο ἀρωγῆς.*

In versione virorum LXX legimus: *οἱ λειτουργοὶ αὐτοῦ ποιοῦντες τὰ θελήματα αὐτοῦ.* Scribendum igitur est:

*οἷς τ' οὖας μεμέληται ἐπ' ἀθανάτοιο ἀνωγῆς.*

Contra v. 44, 15

*νωλεμέως ἄφθαρτε ἀμαιμάκετος σέο θῶκος*

cave ne Rittero pareas *ἄφθαρτος* scribi iubenti (l. a. p. 20), quoniam, si hoc feceris, non habebis, quod verbis *ὁ θεός*, quae in versione virorum LXX legantur (*ὁ θρόνος σου, ὁ θεός, εἰς αἰῶνα αἰῶνος*), respondeat. Ceterum vides hic, quam religiose Apollinaris verba versionis virorum LXX expresserit; qui ad adverbium *νωλεμέως* idem verbum durandi subaudiri voluit, quod ad verba illa *εἰς αἰῶνα αἰῶνος* aliquanto facilius subauditur. — Nec magis Ritterus verum assecutus est, cum v. 108, 36

*οἷα δὲ διψώοντι ἐπήλυθεν ἔγκασιν ὕδωρ,*

*ἡ ἀρά* scilicet, pro *διψώοντι διψώοντος* scribi iuberet, hic quoque verbis versionis virorum LXX confisus, quae haec exhibet (v. 18): *καὶ εἰσῆλθεν* (*ἡ κατάρα* scilicet) *ὡς ὕδωρ εἰς τὰ ἔγκατα αὐτοῦ.* At his verbis ipsis maledictionem docemur in viscera scelerati illius, de quo auctor huius psalmi queritur, manavisse tamquam aquam in sitientem. Sanus igitur versus est et intellectu facilis, dummodo ad *ἔγκασιν* subaudiamus *αὐτοῦ.*

Ceterum vix opus est commemorare hiatum in tertia sede non excusari, si post tertiam arsin, non post tertium trochaeum versus caesura dirimatur. Sed e monosyllabis procliticis in vocalem exeuntibus, quae tertiam arsin sequuntur, ne unum quidem elisionem patitur; quare omnes id genus hiatus facile excusantur (*τὸ ἐόν* Parmen. 2, 2; 8, 19; *τί* Theocr. 12, 24; *πεδίον το Ἀρήιον* Apollon. II 1268, III 495. 1270 ex imitatione Homeri (*Z* 201 *πεδίον τὸ Ἀλήιον*); *πεδίον τὸ Ἀλήιον* ex Homero Dionys. Perieg. 872; *τὸ ἐμόν* Apollinar. 16, 10, *πρὸ ἑωσφόρου* idem 109, 7)[13].

[13]) Ut rem absolvam, addo quae in carminibus minoribus aut fragmentis hiatus in caesura trochaica admissi inveniuntur exempla: Rhian. p. 188 (*ἕσποντο ὁμοῦ*); in primo libro Manethoniano v. 282 *κερόεσσα ἐφ' ὡρονόμοιο τυχοῦσα*, quo loco Koechly falso *καθ' ὡρονόμοιο* scripsit (cf. v. 347 *Ἑρμείας δέ τ' ἐφ' ὡρονόμου*), in quinto libro v. 195 *κάπροιο ὑπέστη;* Orph. frgm. 170 *ἅπαντα ἑαῖς;* denique in versu a Clemente ex Aristobulo allato (Strom. V 14, cf. Callimachi frgm. 145) *τέτυκτο ἐν οὐρανῷ.*

Hiatu in tertia sede haud rarior, immo paulo crebrior est post quartum pedem hiatus. Qui tamen ab iisdem fere poetis, quos in illo diligentiores esse videmus, aut plane vitatur aut raro admittitur. Ac deest apud Bionem — ceterum ne in epitaphio quidem Bionis invenitur —, apud Dionysium Periegetam, Marcellum Sidetam, Maximum — nam v. 277 pro *ἐπὶ ἄνδρα* Hermannus recte scripsit *ἐπὶ φωτί*, nec minus *κατὰ ἄστρα* v. 346 corruptum esse videtur, pro quo Koechly scripsit *κατὰ μέτρα* — in Lithicis, in quarto denique libro Manethoniano. Nam huius libri versus 230, qui in editione Gronoviana sic scriptus legitur

*Ἄρης δ' Ἑρμείαν διαλαμπάδα ἀκτίνι βάλλων*

penitus corruptus est. Nec satisfaciunt quae adhibitae sunt medelae; neque enim aut ex *ἀντία ακτινι* factum esse verisimile est aut *διαλαμπέα* aptum esse videtur epitheton, cum per quam rem Mercurius effulgeat, non appareat. Sed hoc quidem manifestum est, *ἀκτῖνι*, quod eo quo legatur loco ferri non possit, aut transponendum esse aut mutandum aut delendum. Atque si transponitur, verborum ordinem funditus evertere necesse est; nec quin *ἀκτῖσιν* pro *ἀκτῖνι* scribas, facere poteris. Itaque, quamvis facile sit ad hunc versum restituendum exemplum petere e v. 218

*Ἠέλιον δ' ἀκτῖσιν Ἄρης πυριλαμπέσι βάλλων*

hoc facere nolo. Ac ne mutare quidem illud *ἀκτῖνι* poteris, quoniam eiusdem notionis vocabulum requiritur; quod vix invenietur, nisi forte *φέγγεϊ* scribendum esse censebis. Itaque mihi quidem *ἀκτῖνι* tollendum esse videtur ut interpretamentum ad lampadis nomen additum, cui dativus reddendus est. Quo interpretamento epitheton expulsum esse videtur, quod ad *λαμπάδι* illud pertinebat. Denique, ut syllabarum numerus suppleretur, pro *λαμπάδι* scriptum est *διὰ λαμπάδα*; cuius generis supplementa in psalmis Apollinarianis saepius deprehendimus[14]. Potest igitur haec esse genuina versus forma:

*Ἄρης δ' Ἑρμείαν πυριφεγγέι λαμπάδι βάλλων*[15].

---

[14]) Cf. e. g. supra p. 10.

[15]) *Λαμπάδι* iam Hermannus scripsit; sed versus quem ille Orph. p. 750 commendat

*Ἄρης δ' Ἑρμείαν ἀκτίνων λαμπάδι βάλλων*

vel propter nimiam spondeorum gravitatem huic poetae minime convenit.

Sed ut appareat, quam quisque in hac re rationem secutus sit, locos, quibus post quartum dactylum hiatus legitur, serie enumerabo.

Parmenides: 4, 6 *πανὰπευθέα ἔμμεν.*

Empedocles: 100, 17 *χροῒ ἠδὲ πόροιο.*

Aratus: 56 *ὄμματα, εἷς,* 939 *ἐοικότα ἰνδάλλονται,* 962 *ἐπὶ ὕδατι,* 1027 *ἐπὶ ὄψιον*[16]); praeterea Maass 634 *αὐτίκα ἐρχομένοιο,* 648 *ἀπευθέα,* 1133 *ἐοικότα* recte posuit.

Timon. frgm. 40 *Ἀρίστωνος γενεὴν ἄπο αἱμύλου ἕλκων;* frgm. 5, 7 *ἐπεμαίετο, ὄφρα.*

Callimachus: h. VI 57 *κοτέσσατο· εἴσατο* e Wilamowitzii coniectura; cf. *ν* 352.

Theocritus: 1, 67 *τέμπεα, ἦ;* 2, 154 *μυθήσατο, ἔστι;* 15, 60 *τέκνα, εἶτα.*

Bucolici minores: (Theocr.) 19, 5 *ἐμέμφετο, ὅττι;* 8 *τραύματα ἁλίκα;* 22, 48 *ἀπηνέα εἶχεν;* Megar. 85 *ὑπὸ ἤπατι* in versu corrupto.

Apollonius: cum *ι* dativi: IV 948 *περιηγέι· ἡ μέν,* III 1282 *χρυσάορι Ἀπόλλωνι;* praeterea I 778 *δέ τε ἠιθέοιο,* II 662 *ἐπὶ ἤματι,* IV 1281 *μυρία ἔκλυσεν,* 1635 *ὑπερέπλετο εἰν ἁλί;* IV 236. 1477. 1500 *ἐνὶ ἤματι*[17]).

Nicander: Ther. 28 *περὶ ἅψεα*[17]), Alex. 7 *ἐνάσσαο ἧχι* (Hermannus conferri iubet *Λ* 76 *καθείατο ἧχι*), 358 *ὑπὸ οὔθατι*[18]).

Moschus: Eur. 120 *ἅλα Ἐννοσίγαιος,* 127 *πτύχα, ὄφρα.*

Carmen epicum, quod editum est Berliner Klassikertexte V 1 p. 67: v. 77 *ἐπὶ γήραϊ· ἀλλά.*

Rhianus: p. 199, 9 *ἐπὶ ὄλβον ὀπάζει* in tmesi.

Eratosthenes: 30 *χερσαῖα καὶ ἄμβατα ἀνθρώποισιν,* ubi Hiller non recte *χερσαῖά τ' ἀνέμβατά τ';* cf. Maass Commentar. in Arat. p. 64.

Nicaenetus apud Parthenium *ἐρωτικὰ παθήματα* XI: *καὶ Κάρια ἱρὰ λόετρα.*

---

16) Eundem hiatum inter praepositionem et nomen admissum, ubi diaeresis sane nulla est, habes apud Apollonium II 662 *ἐπὶ ἤματι.* Sed talia illi exemplis ex Homero petitis tueri poterant, apud quem *X* 206 *ἐπὶ Ἕκτορι* legitur in tertio pede et *ν* 114 *ὅσον τ' ἐπὶ ἥμισυ πάσης,* quo loco facile fieri potuit, ut interpretantes *ἐπὶ* ad *ἥμισυ* pertinere opinarentur.

17) Excusatur vocali, quae elidi non potest.

18) Hoc ferendum esse videtur, quamvis gravis hiatus sit. Hermannus, quem Schneiderus secutus est, codicis Gottingensis lectione *οὔθατα* recepta *ὑπό* adverbium esse voluit; quod fieri posse vix credo, cum ad quam rem illud referatur, verbis quidem non declaretur.

Antiochi Ther. (Galen. antid. II; Kuehn t. XIV p. 185 et 202) v. 1 *τήνδε πρὸς ἑρπετά, ἣν Φιλομήτωρ*, ubi fortasse *τήν* scribendum est.

Hymni Orphici: In his Abelius Hermanni auctoritatem secutus saepissime hiatus tollendi causa nominativum pro vocativo posuit (his locis: 4, 7; 9, 2; 11, 5; 14, 7. 11; 17, 4; 18, 17; 28, 3; 29, 9; 32, 2. 3. 11; 34, 2; 36, 9; 40, 2; 52, 10); quod perversum esse apparet, praesertim cum his quoque locis in eadem sede hiatus inveniatur: 15, 6 *καταιβάτα, ὀβριμόθυμε*; 38, 16 *κτήματα ἠδέ*; 51, 8 *οὔρεα εὐάστειραι*; 55, 24 *σέο, ἔνθα*; 86, 1 *τανυσίπτερε, οὖλε.*

Pancrates Alexandrinus: In fragmento Oxyrhynchi invento, quod nuperrime editum est (Oxyrh. Pap. VIII p. 74), duo post quartum dactylum leguntur hiatus, uterque gravi distinctione excusatus: v. 21 *κατεσείετο· ἡ μέν*, v. 22 *δένδρεα· ἡ δέ.*

Oppiani Halieutica: II 274 *παναίολα, ἄλλοτε.*

Oppiani Cynegetica: II 403 *ἐπεμήναιο ὑψόθι*[19]).

Carmen de viribus herbarum: v. 103 *ὑπ' ἔνβρυα ἐκβάλλουσιν*, qui locus nondum sanatus est; v. 128 *ἐπιβάλλεο Εἰλειθυίης.*

In tertio libro Manethoniano v. 231 (*ἄπειρά τέ ἐστι*) Koechly Hermannum secutus scripsit *ἀπείριτά τ'*, quod dubito an necessarium non sit.

In Manethonis libro primo et quinto plura exempla inveniuntur, quae ne Koechly quidem tollere ausus est: I 16 *Ἄρεα Ἑρμέα* 97 *ὑπὸ αὐγαῖς*, V 67 *ἐγκλήματα ὕβριν* 159 *ἅμα Ἑρμάωνι.* Praeterea tres ille locos correctionibus tetigit: V 173. 261 *ὑψώματι οὖσα(ν)* [Koechly *ὕψωμ' ἀνιοῦσα(ν)*] I 187 *ἀνηλέι ἤ* (Koechly e Spitzneri coniectura *καί*). Neutrum necessarium est[20]).

In Quinti Smyrnaei libris haec habemus exempla:

a) post *ι* dativi II 142. VI 137. 553. 371. 532. XIII 89 (*ἐν αἵματι· οἱ δ' ἐφύπερθεν*, ubi Hermannus et Zimmermannus *τοί*).

---

[19]) Ceterum de vera huius loci scriptura non satis constat, cum in exordio versus libri exhibeant diversissima (*ἠδέ, οἱ δέ, εἰ δέ, ἀλλά*). *Ἀλλά*, quod Boudreaux recepit, verum esse vix credo. Sed *ὑψόθι* iure ille a Lehrsii aliorumque coniecturis defendit; cf. Colluth. v. 120 *ταῦροι δὲ χλοερῆς κεχορηότες ὑψόθι ποίης.* Ludwichius (Berl. philol. Wochenschr. 1910 p. 265) scribendum esse censet *ἐπεμήνανθ' ὑψόθι* recepta lectione *οἱ δέ.*

[20]) Num Man. I 178 Spitznerus *καί* pro *ἤ* recte posuerit, propter lacunam discerni non potest.

XIII 395. XIV 210. 638. Contra IX 431 et XIII 555 iure ab editoribus correcti sunt.

b) post *περὶ* et *ἐνί* X 194. III 454. IV 175. XII 188[21]).

c) Relinquuntur duodecim exempla, quorum plurima ab editoribus iniuria coniecturis temptantur: I 793 *μένος μέγα Ἡφαίστοιο* (Hermann *μέγα σθένος*, Koechly et Zimmermann *θοὸν μένος*), II 487 *μέγα ἱππόβοτόν τε* (Hermannus et Zimmermannus *θ'* addiderunt, sine necessitate), III 190 *ἀρήγετε εὐμενέοντες* 326 *ἀν' ἄλσεα ὑλήεντα*, VI 56 *ἕζετο, ἧχι* (cf. *Δ* 76), VII 601 *πολλὰ κελεύων ἐς μόθον Ἀργείοισιν ἀταρβέα, οὕνεκα πάντων*, ubi omnia sana sunt, dum *θύναι*, hoc est *δῦναι*, quod in codicibus quibusdam post *ἀταρβέα* legitur, deleatur. Zimmermannus Spitznerum secutus *ἀταρβέσιν* scripsit, quod ineptum esse iam Koechly cognoverat. — IX 469 *κατέφθιτο· οἱ δ'* (Spitznerus et Zimmermannus *τοὶ δ'*, sine necessitate), 484 *φάνεν δέ ἑ, οἷος ἔην περ*, de quo versu paulo plura dicenda sunt. Corrupta enim haec verba esse non solum propter hiatum, sed etiam propter novam aoristi formam arbitratus Koechly scripsit *φάνη δ' ἄφαρ*, idemque Zimmermannus recepit. Ac de hiatu quidem taceo; quem ferendum esse tanto exemplorum numero demonstratur. Sed ne aoristum quidem illum tangere debemus; de quo iniuria dubitavit Lobeckius, qui de formis verbi *φαίνειν* egit in commentario ad Sophoclis Aiacem v. 313 (p. 185 sq. editionis tertiae). Ipse enim Lobeckius loco illo attulit versum septimum hymni Orphici 71:

*ἀλλοκότοις ἰδέαις μορφῆς τύπον ἐκπροφανοῦσα.*

Atque etiam tertium exemplum afferre possumus, quo a recentioribus poetis formam *ἔφανον* active usurpatam esse demonstretur. Apud Antiochum enim astrologum de Iovis stella haec scripta habemus (cod. astrol. I p. 109 v. 20):

*ἐπὴν δ' ἄρα νυκτὶ ὁδεύσῃ,*
*οὐ κακὸς οὐδὲ μὲν ἐσθλὸς ἐπίφανε φαιδρότατον φῶς*
*μεσσοτύχους, ὀλίγοισι χρόνοις εὐσχήμονας ἄνδρας.*

Cumontius cum *ἐπίφανε* corruptum esse opinaretur, *ἔφηνεν* coniecit, qua coniectura structura verborum penitus turbatur. Neque vero quicquam mutandum est, dummodo pro *ι* reponatur *ει*. Quo facto habebimus

---

[21]) XII 188 *περὶ δ' ἄσχετα* codices. *Δέ* tollere malim quam cum Hermanno et Zimmermanno *ἀμφ' ἄσχετα* scribere.

*οὐ κακὸς οὐδὲ μὲν ἐσθλός, ἐπεὶ φάνε φαιδρότατον φῶς.*

En habes eandem aoristi formam, quam Quinto editores iniuria eripuerunt.

Praeterea in quarta sede hiatum habemus XI 63 *βαλεῖν δέ τε εἰς ἅλα δῖαν* (Koechly et Zimmermann *βαλέσθαι*, cursu numerorum minus grato), 66 *θαλάσσια ἤρκεσαν ἔργα* (Diels *θαλάσσι' ἐπήρκεσαν*, Zimmermann *θαλάσσης*, cum numerorum iniuria uterque), XII 221 *τεκμήρατε, οἵτινές ἐστε*, 584 *ἀπέσσυτο ἀχνυμένη κῆρ* (cf. 438), XIV 104 *ἐπεὶ μέγα ἤνυσαν ἔργον* (cf. χ 408. *ἐπεὶ μέγα εἴσιδεν ἔργον*).

Apud Ammonem habemus v. 6 *παλίντροπα ἐκτελέθουσιν.*

Orphei Argonautica: 231 *ἐκέκλετο ἠδ' ἀγόρευεν*, 537 *γέρα ἠδ' ἐπιλοιβάς*, 1042 *δέ τε ἄμφεχεν.*

Orphei *περὶ σεισμῶν* v. 42 *τότε ἄλγεα.*

Orph. frgm. 5, 17 *ὀστέα ἐμπεφύασιν* v. 26 (= 6, 25) *χθόνα ὡς*; frgm. 6, 41 *δὲ ἔνθεο*, frgm. 49 *σέο ἔκλυον.*

Oraculum apud Euseb. praep. ev. IV c. 9 (Wolff p. 117) *ἔρχεο οὐρανιώνων.*

Apollinaris:

a) post ι dativi 37, 9 *ἐπαχθέι εἰσίν.*

b) post *περί*: 24, 23 *πέρι ἵλαος.*

c) 13, 14. 20 *ἀναείρατε ἡγεμονῆες*; 4, 3 *ἐπικέκλυθι εὐχωλάων*; 9, 34 *λελησμένα αἰέν*; 15, 18 *ὑπέρτατε ἐν*; 35, 8 *βουλεύσατο οὐδέ*; 70, 9 *παννυπέρτατε αἰέν*; 76, 34 *διέσσυτο ἔνθα* (cf. ι 438); 94, 16 *ἀκούσετε οὔασιν* [Ritterus *ἀκούσητ'(ε)* numeros depravans]; 117, 55 *δέ σε ὑψόσε*; 120, 13 *μήποτε ἄλγος.*

Contra 19, 15; 44, 4; 138, 33 *περίαλλα* pro *περὶ ἄλλα* et 104, 15 *ἐπίορκον* pro *ἐπὶ ὅρκον* scribendum est; v. 59, 21, ut concinat cum 107, 24, pro *ἡγήσαιο* scribendum *ἡγήσεαι* (*ὁ πρὶν ἐλάσσας*); 144, 1 pro *σέ σεῦ* reponendum esse apparet. E versibus denique psalmi 96 sexto decimo et quinto et vicesimo alter (25)

*τερπωλή τ' ἀφ' ὕπερθεν ἐσίκετο εὐθέων ἦτορ*

in codice Laurentiano non legitur; alterum

*τάρπη ἑῇσιν ἐνὶ φρεσὶν ἔξοχα οὔρεα Σιών,*

qui non solum ingrato numerorum cursu insignis sit, sed etiam *Σιών* nomen in casus non declinatum exhibeat, non Apollinaris, sed interpolatoris esse verisimile vel potius certum est. Psalmum enim nonagesimum sextum inde a versu undecimo genuinam

formam non servavisse propter tot numerorum vitia Ludwichius iure suspicatus est, qui de hac re in libello quem de Nonno emendando scripsit[22]), et in Hermae tomo XIII p. 349 pauca adnotavit.

His duobus legitimi hiatus generibus aliquanto minus frequens est tertium, quo in diaeresi primi pedis brevis vocalis ante vocalem ponitur. Quod genus a recentioribus epicis etiam rarius quam ab Homero usurpatur. Itaque non modo melioris notae poetae plane illo abstinuerunt, sed etiam qui ceteris in rebus minus diligentes esse solent. Deest igitur talis hiatus apud Xenophanem, Parmenidem, Callimachum, Theocritum, Nicandrum, Moschum, Bionem cum imitatoribus, Dionysium Periegetam, Oppianum utrumque, in quarto libro Manethoniano, in Lithicis. Iure sublatus est hiatus in elegiacis quidem versibus minime ferendus in Eratosthenis epigrammate (v. 11 *τοῖσδε δὲ ἐν πινάκεσσιν*, scribendum *γάρ*) a Wilamowitzio[23]), in Andromachi elegia (v. 95 *ὕδατι ἐγχεύσας ὅσον ἄρκιον*, scribendum *ὕδατος ἐγχεύας*) a Schneidero. Sed etiam quod in Maximum semel ille irrepsit, hoc librariorum socordia factum est. Nam quod v. 149 legimus in codice

*Παιὼν γὰρ ἐναίσιμος ἀνθρώποισιν,*
*ει δε τε οις κεν τοῦδε κατ' εἰδώλοιο φέρηται*

Luna scilicet, hoc corruptum esse nemo non videt. Sed miris hic locus coniecturis temptatus est, quamvis facile esset levem librarii errorem agnoscere, quo *ειδετε* scriptum est pro *εἴδεται*. Post hoc igitur verbum distinguendum est.

Atque in Manethonis libris II, III, VI e tribus exemplis (II 172 *πρὸς δ' ἔτι ἀργαλέους*, II 163 *ὅσσα τε ἐκτελέουσιν*, III 386 *ὁππότε οὖν*) primum propter sententiam, cui *ἀργαλέους* non convenit, corrigendum est; nec dubito, quin Koechly *θαρσαλέους* recte scripserit. Qui duo quoque illa quae relinquuntur sustulit *δέ* particula addita, quam emendationem, ut facilem, veram esse libenter credimus. Itaque hi quoque libri hoc hiatu vacant.

Apud quosdam ei tantum hiatus in prima diaeresi inveniuntur, qui cum litteris finalibus fiant ab elisione alienis, apud Homerum aut ipso illo loco aut aliis in sedibus admittuntur;

---

[22]) Beiträge zur Kritik des Nonnus von Panopolis p. 52 sq.

[23]) Nachrichten der Göttinger Ges. 1894 p. 23.

velut apud Empedoclem habemus 4, 10 *μήτε τι ὄψιν*[24]), apud Aratum v. 686 *οὐδέ τι ἄκρα*, in carmine Theocrito falso ascripto (Th. 25, 36) *ἠέ τι Αὐγείην* (*τὶ* Ahrens pro *τοί*), in eo, quod Megara inscribitur v. 4 *ἤ ῥ' ὅτι ἄλγεα*, apud Apollonium *τί ἦ* I 793 II 662 III 1095, *αὐτὰρ ὁ* cum vocali sequente III 1316. 1345 IV 127 (idem saepius hac in sede apud Homerum; vide locos a Gerhardo congestos lect. Apollon. p. 172)[25]); in carmine illo epico Berolinensi v. 21 *Τυδέι εὖτε* (talis dativus in hac sede apud Homerum frequens est), apud Marcellum Sidetam *αὐτὰρ ὁ* v. 23, in carmine de viribus herbarum v. 75 *φροντίδι, ἀθάνατοι*, apud Dorotheum v. 64 *ἤματι Ἠελίοιο*, v. 67 *ἤματι Ἀφρογενής*. Eadem excusatio in quibusdam hymnorum Orphicorum versibus valet: 10, 28 *πάντα σὺ ἐσσί* (sic recte Hermannus pro *σοὶ εἰσί*), 84, 3 *τούσδε σὺ ἐν*; 65, 4 *αἵματι ἀνδροφόνῳ*, ubi Hermannus et Abelius *τέ* particulam hic minime aptam addiderunt[26]). Verum denique habes hiatum 36, 6

---

[24]) Contra 139, 1 haud scio an servandum sit, quod libri tradunt, *οἴμοι ὅτ' οὐ*; cf. Theocr. XI 54.

[25]) De v. IV 376, qui corruptus est, non satis liquet. Laurentianus habet *σχέτλιε, εἴ κέν με*, Guelferbytanus *σχέτλιε, εἴ με*, cum lacuna uterque. Hermannus *σχετλίη* scripsit, addito *δή* post *κέν*. Quod recepit editor Oxoniensis, qui tamen de lacuna nihil adnotavit.

[26]) Valeret etiam in versu octavo hymni sexagesimi, nisi *εὔχαρι* pro corrupto habendum esset. Quae Hermannus et Wielius coniecerunt, non satisfaciunt. Ceterum quae in hoc carmine inde a versu sexto usque ad nonum leguntur, a Ruhnkenio ex hymno Furiarum (69), ubi post versum nonum in codicibus extant, in Gratiarum hymnum transposita sunt, ubi nunc in editionibus leguntur. Et sane hi versus illic ferri non possunt, ut ad Furiarum ingenium describendum minime apti; sed quomodo ex hymno sexagesimo irrepserint, non apparet. Fortasse res sic potius explicanda est. Lacuna olim fuit in hymno 69 post versum illum

*οὔτε γὰρ ἠελίου ταχιναὶ φλόγες οὔτε σελήνης,*

quae ut expleretur, versus, qui nunc sequuntur, alicunde sumpti ascripti sunt. Sententia autem, quae antea hic fuisse videtur, his fere verbis ennntiari poterat:

*. . . . . . ὠκύδρομοι ὥστε νόημα·*
*οὔτε γὰρ ἠελίου ταχιναὶ φλόγες οὔτε σελήνης*
*ὑμῶν κεν πρότεραι φράζοιατο, ἥν κατὰ γαῖαν*
*ἄνδρες ἀλιτροσύνας ὑβρισταὶ μηχανόωνται·*
*αἵ τ' αἰεὶ θνητῶν πάντων ἐπ' ἀπείρονα φῦλα*
*ὄμμα δίκης ἐφορᾶτε, δικασπόλοι αἰὲν ἐοῦσαι.*

An haec male inter se connexa sunt? Ac vides nunc, cur celeres siderum radii appellentur; quod adiectivum illic, ubi nunc legitur, intellegi non potest. Nam *ὠκέος ἠελίοιο* apud Mimnermum (11, 5) et Leonidam Tarentinum (Anth. Pal. VII 466 v. 6; cf. Nicand. Ther. v. 694) et *ταχὺς ἥλιος* in oraculo quodam apud Damascium II 157, 15 (Kroll p. 36) diversi generis sunt.

*εὔδρομε, ἰοχέαιρα* et 8, 12 *φωσφόρε, αἰολόμικτε*, ubi non magis quam in illis hiatibus in quarto pede admissis nominativus ponendus est.

Iam, si omittimus unum primi libri Manethoniani versum (198), in quo is, cui hoc frustulum inter ceteras sordes elatione orationis insigne debetur, *ἴσχεο* ante gravem distinctionem posuit, et duos Argonauticorum Orphei (v. 118 *πρῶτα δὲ εἶδα*, v. 1376 *γείνατο ἐν λέκτροις*, ubi Hermannus *γείνατ' ἐνί*, fortasse recte), duo relinquuntur poetae, qui saepius et sine certis condicionibus hiatum illum admittant, Quintus Smyrnaeus et Apollinaris. Nimirum ne his quidem defuerunt, qui tollere vellent, quod artis peculiare esse agnoscere debebant. Quamquam non dubium est, quin quaedam id genus corrigenda sint, dummodo facili emendatione fieri possit; velut in Quinto quidem I 42 *ἔνθ' ἄρ' ἔην* pro *ἔνθ' ἄρα ἦν* Hermannus, VI 500 *δὴ τότ' ἄρ' Ἀργείων* pro *δὴ τότε Ἀργείων* Spitznerus recte scripsisse videntur. Sed e reliquis exemplis plurima tangenda non sunt. Haec igitur enumerabimus. Atque cum *ι* dativi haec habemus: I 259 *ἔγχεϊ ὀκριόεντι*, III 198 *Ἕκτορι, εἶ*, 614 *ἀνέρι, ὃν* (Hermannus et Zimmermannus *τόν*, sine necessitate; cf. V 169), XII 313 *οὔρεϊ οὔτε*, ubi *τ(ε)*, quod Hermannus addidit, ineptum est. *Τί* ante vocalem (*τί ἦ*) legitur III 46. 98. V 229; *ὃ* XI 363 *πυκνὸν ὃ οὔτε*, ubi Koechly et Zimmermann *ὅ τ(ε)*, quamquam illud Homerico versu (*N* 100 *δεινὸν ὃ οὔποτε*) defenditur. Nec vero desunt hiatus, qui tali excusatione careant: III 114 *σχέτλιε, οὐ*; VI 388 *σχέτλιε, οὐδ(έ)* [Hermannus et Zimmermannus utroque loco *σχέτλιος*], III 169 *τίσετε αἰνόν* [Zimmermannus e falsa Gerhardi coniectura *αἰνὸν τίσετ'(ε)*], 184 *ἀλλά ἑ ὡς* [Koechly et Zimmermann *μίν*, at cf. *μέ* cum eodem hiatu *Ψ* 71, *σέ Υ* 152], V 169 *ἀνέρα, ὅντινα* [Koechly et Zimmermann *ἄνδρα τόν, ὅντινα*, quamquam ante *ὅστις* demonstrativum ferri non potest; nam Apollon. Arg. IV 1655, quem locum Koechly affert, diversi generis est]; VI 384 *τῷ δ' ἔπι Εὐρύπυλος* [Hermannus et Zimmermannus *τῷ δ' ἄρ' ἐπ(ί)*], XII 236 *μίμνετε, εἰς ὅκεν* [Koechly et Zimmermann *μιμνέμεν*], XII 545 *χαίρετε ἀφραδέοντες* [Zimmermannus *χαίρετ' ἔτ(ι)*, Spitznerus *χαίρετ' ἄρ(α)*, sed quicquid additur, sententiam enervat], XIII 518 *ὣς φάτο· οἱ δ(έ)* [Spitznerus et Zimmermannus *τοί*, sine necessitate]. Addendum denique est, quod felicissimae Koechlei coniecturae debetur, *μυρία εἰς ἓν ἅπαντα* VII 72, ubi in codicibus legitur *μοίρης*.

Paucis locis, ut hiatus tollatur, sententia flagitat emendanda; ut I 727 *μέμβλεται* pro *μέμβλετε* recte Hermannus scripsisse videtur; nec quin IV 185 *δοιοί* pro *οἵδε* a Struvio et VI 629 *ἀντικρύς* pro *ἀντικρύ* (cf. IV 376) a Rhodomanno recte posita sint, quisquam dubitabit.

Hactenus de Quinto; iam Apollinarem videamus. Apud quem semel *ι* dativi hiatum facit: 124, 1

*οὔρεϊ ἀθανάτῳ πίσυνοι Σιῶνος ὁμοῖοι*

qui versus ex his virorum LXX verbis expressus est: *οἱ πεποιθότες ἐπὶ κύριον ὡς ὄρος Σιών.* Quae Scheindlerus et Ritterus, hic *οὔρεος*, ille *κυρίῳ*, scribi iusserunt, non intelleguntur. Reliqua exempla praeter v. 128, 10 (*ὅστε πρὸ ἀμητῆρος*)[27]) littera finali non excusantur. Sunt autem haec: 5, 14 *σεῖό με ἡγήσαιο* (Ludwichius *ἡγήσαιό με σεῖο*; at cf. 138, 47); 21, 28 *τέρσετο ἠπεδανῷ* (Ritterus *τέρσετο δ' ἠπεδανῷ*; at in versione virorum LXX (v. 16) nulla est particula); 24, 29 *οὔνομα ἀθανάτοιο* (Volkmannus et Ritterus *δ(έ)* addiderunt; *καί* est in versione virorum LXX v. 14, sed in paraphrasi particula melius deest); 37, 17 *ἄφθιτε, ἀλλ(ά)* (Volkmannus commentat. ep. p. 34 *ἄφθιτος*); 67, 78 *μέλψατε ἀντολίης*; 138, 2 *οὐδέ σε ἑζόμενος* (Scheindlerus *οὐδέ σ' ἐφεζόμενος*, Ritterus *οὐδὲ καθεζόμενός σε*; neutrum placet); 138, 47 *ὄφρα με ἡγήσαιο* (*μή* Sylburgius errore; Scheindlerus *μ' ἐφηγήσαιο*; at cf. 5, 14); 148, 5 *μέλψατε ἠέλιός τε.*

Contra 68, 63 (*μηδέ με ἀμφιβάλῃσι*) recte Scheindlerus *μοί* posuit; nec minus 85, 25 *ἄντα μεν* scribendum esse apparet.

Sed quoniam ad finem perducta est de iis hiatibus quaestio, qui legitimi vocantur, iam ad eas versus heroici sedes transimus, quas hiatum accurata quidem ars vetat accipere. Quod genus hiatuum Homerus non ita curiose vitavit; recentiores raro adhibent nec sine certa causa plerumque. Atque inter eas quae perlustrandae sunt sedes, ceteris crebrius hiatum patitur post quintum pedem diaeresis; hanc igitur primo loco considerabimus. Atque non paucos poetas eosque non modo ex eo numero, qui politiore arte utuntur, verum etiam ex iis, qui ceteris in rebus neglegentiores esse solent, hunc hiatum numquam videmus admisisse; alios interdum ita, ut Homeri imitatio manifesta sit;

---

[27]) Scheindleri commentum *ὡς πρὸ τοῦ ἀμητῆρος* vix dignum est cuius mentio fiat.

paucos denique saepius et extra Homericas formulas usurpavisse. Deest enim in quinta diaeresi hiatus apud Callimachum, Theocritum, Moschum, Bionem, Dionysium Periegetam, in hymnis Orphicis, in carmine de viribus herbarum, apud Maximum, Oppianum Syrum, in quarto libro Manethoniano, in Lithicis. Addendi denique sunt libri II, III, VI Manethonis; nam II 333 pro *εὕρετο* Koechly rectissime *τεύκτορας* scripsit atque III 314 satius esse videtur *ἐπιμαρτυρίῃσι τάδ' ἔρδει* cum Hermanno pro *ἐπιμαρτυρίαις τάδε ἔρδει* scribere quam poetam Homeri locum (Ξ 264 *ἀποθύμια ἔρδοι*) imitatum esse existimare.

Sed priusquam de iis locis agamus, quibus ab ipsis poetis in quinta diaeresi hiatus admissus est, pauca de versibus quibusdam disseremus, in quibus errori librariorum aut criticorum debetur. Ac primum Timonis frgm. 42 sic in codicibus scriptum legimus:

*καὶ Ἐμπεδοκλῆς ἀγοραίων*
*ληκητὴς ἐπέων· ὅσα δ' ἔσθενε, τοσσάδε εἶλεν* (vel *εἷλεν*)
*ἄρχων, ὃς διέθηκ' ἀρχὰς ἐπιδευέας ἄλλων.*

Quibus versibus primus criticam curam adhibuit Sturz (Empedocl. p. 120), qui hunc in modum verba distinguenda esse censebat:

*ὅσα δ' ἔσθενε, τοσσάδε εἷλεν*
*ἀρχῶν, ὃς διέθηκ' ἀρχὰς ἐπιδευέας ἄλλων*

et vertebat: sumpsit tot rerum principia, quot sumere et excogitare potuit. Quod nec linguae usui nec rei convenit. Nec magis recte Wachsmuth, qui hac coniectura verum assecutus esse sibi videbatur:

*ὅσα δ' ἔσθενε, τοσσάδε εἵλων*
*ἄρχων ὥς διέθηκ' ἀρχας ἐπιδευέας ἄλλων.*

Diels denique hunc in modum et numeros et sententiam emendare conatus est:

*ἵσα δ' ἔσθενε, τοσσάδ' ἔειπεν*
*ἄρχειν, ἃς διέθηκ' ἀρχὰς ἐπιδευέας ἄλλων*

intellegens: quaecumque valebant in mundo regnare iussit; quae nimirum principia ita disposuit, ut aliis iterum egeant principiis. Quod si receperis, sententiam quidem habebis aptam, verba parum elegantia. Nec tam graviter mutare licet verba, quae per se sanitatis speciem praebeant. Immo hoc quidem certum et

extra dubitationem esse videtur, extremi versus verba nulla littera mutata hunc in modum distinguenda esse:

*ἀρχῶν ὃς διέθηκ' ἀρχὰς ἐπιδευέας ἄλλων*

deleta ante relativum interpunctione; quomodo absoluta et perspicua existit sententia. Hoc si recte facimus, sequitur, ut verba illa quae praecedant non ad placita Empedoclis, sed ad carmina ita pertinere necessario statuamus, ut convicio illi, quo forensium verborum clamator Empedocles vocatur, simile aliud addatur. Proinde scribamus:

*καὶ Ἐμπεδοκλῆς ἀγοραίων*
*ληκητὴς ἐπέων· ὅσα δ' ἔσθενε, τοσσάδ' ἄειδεν·*
*ἀρχῶν ὃς διέθηκ' ἀρχὰς ἐπιδευέας ἄλλων.*

Empedoclem, poetam verbis satis copiosum et eadem iisdem verbis saepius iterantem, tot versus, quot potuisset, fecisse nonne potuit per ignominiam dici a Phliasio illo loquacitatem omnem et tumorem detestante?

Euphorionis frgm. 129 sic editur:

*καί οἱ γείνατο κοῦρον, ὃς οὐκ ἠλέκτορα εἶδεν.*

Huc hiatus a Sylburgio, quem editores et Euphorionis et Clementis secuti sunt, illatus est; qui quae traduntur verba *εἶδεν ἠλέκτορα* alterum in alterius locum cedere iussit. Sed scribendum est

*ὃς οὐκ ἴδεν ἠλέκτωρα,*

de qua forma conferenda sunt, quae Choeroboscus ad Theodosium de flexione nominum dicit p. 301, 1 H.: *τοιαῦτα δὲ εὑρίσκομεν καὶ ἄλλα παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις φυλάττοντα τὸ ϖ κατὰ τὴν γενικήν, οἷον ἠλέκτωρ ἠλέκτωρος (ὁ ἥλιος), ταλάωρ ταλάωρος (τὸ τόξον), προπάτωρ προπάτωρος. Ταῦτα δὲ πάντα ποιητικά εἰσιν.* In quibus dubito quam recte illud *παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις* toleretur, praesertim cum in codice Veneto post ϖ additum legatur *παρὰ τοῖς ἀρχαίοις*. Quod haud scio an verbis illis substituendum sit. Et *παρὰ τοῖς ἀρχαίοις* ante *φυλάττοντα* ediderat iam Bekkerus (anecd. p. 1200). Ceterum conferenda sunt etiam Sophronii verba, quae in editione Hilgardi leguntur p. 402, 4: *ἔστι δὲ ἃ ποιητικῶς ἐξετάθη, ὡς προπάτωρος καὶ ἠλέκτωρος, οἷς οὐ χρηστέον.* Neque vero memoria indignum esse videtur e tribus illis exemplis a Choerobosco allatis etiam alterum apud Euphorionem legi (*ταλάωρι* frgm. 95, 12).

Andromach. v. 87:

*οὖλα γὰρ ἀμφοτέρῳ φερέει ἐπὶ τύμμασι ἄχθη*

*λυγρὸν ὑπ' οὐραίην ἰὸν ἔχων φολίδα.*

Haec in editione Galeni Kuehniana leguntur. Bussemakerus e libris manu scriptis — recte enim hoc Schneiderus statuere videtur, cum coniectura tale invenire vix potuerit — haec edidit:

*οὖλα γὰρ ἀμφοτέρωθε φέρει ἐπὶ τύμμασιν ἄχθη.*

Sed Schneiderus locum nondum persanatum esse arbitratus maiora molitus est huncque in modum poetae verba restituere ausus:

*οὖλα γὰρ ἀμφοτέρωθε φέρει ἔπι τύμμασί τ' ἄχθη*
*χὔγρὸν ὑπ' οὐραίην ἰὸν ἔχων φολίδα.*

Quae ita enuntiari putabat, ut ab utraque parte graves inferre dolores vipera diceretur, nimirum a capite dentium *τύμμασιν* et a cauda comeso quod in eo esset cum carnibus veneno. Sed dubito, num tam contorta oratione Andromachus hoc enuntiaturus fuerit, quem obscurum, numquam tardum aut durum esse videmus. Mihi ea, quae Bussemakerus dedit, bona atque integra esse videntur, dummodo pro *ἐπί* scribatur *ἔπι*; quo facto vipera ad morsus utrinque, hoc est ex capite et cauda, pondera veneni petere dicetur; propriam enim notionem vocabulum *ἄχθος* hoc loco habere vel ideo crediderim, quod, si dolores significaturus erat poeta aptius certe singulari numero usus esset. Atque cum in capite serpentium venenum latere inter omnes constaret, caudam quoque venenatam esse iure satis habuit addere, non veritus, ne, quae altera sit partium illarum, quas vocabulo *ἀμφοτέρωθε* significaverat, non intellegeretur.

Anonymi Ther. v. 2:

*καὶ σαγαπηνὸν ἴσον καὶ χαλβάνῃ, ἄμμι δὲ αὖτις.*

Vix dubium est, quin scribendum sit *δέ τ' αὖτις*.

His igitur locis tollendus erat in quinta diaeresi hiatus ut a librariis illatus; iam ad eos venimus, quibus ipsi poetae hanc sibi licentiam sumpserunt. Quod plerumque illi fecerunt Homeri imitandi studio, rarius et recentioribus demum temporibus metricarum legum inscitia. Velut Xenophanes frgm. 26 *ἄλλοτε ἄλλῃ*, Apollonius I 881 *ἄλλοτε ἄλλον* scripsit, quoniam apud Homerum *δ* 326 legebant *ἄλλοτε ἄλλῳ*. Similiter apud Apollonium III 1133 *μήδετο Ἥρῃ*, quoniam notissima versus clausula erat *πότνια Ἥρῃ*, apud Aratum v. 233 *αὐτὰρ ὁ Ἵππος* (cf. *Σ* 421 *αὐτὰρ ὁ ἔρρων* in quinto pede) et v. 962 *ὕδατι ὕδωρ* (cf. *Φ* 21 *αἵματι ὕδωρ*). Ac for-

tasse etiam Cleanthes, qui in hymno Iovis v. 8 scripsit *καὶ οὐ φίλα σοὶ φίλα ἐστίν*, hoc ad normam clausulae Homericae *τετελεσμένα ἦεν* (Σ 4) finxit[28]). Apud Nicandrum Ther. 854 *οἵ τε πρὸ ἄλλης* vocali excusatur ab elisione aliena; alteri loco (Ther. 326 *ἔπλετο ἕλκος*) qui Homericus locus responderet non inveni; nisi quis *ἔπλετο ἔσθος* (*Ϝέσθος*) Ω 94 comparandum esse censet. Euphorionis denique versus 68, 1 (*περιπλομένῳ ἐνὶ ὥρῳ*) non minus quam v. 38 libri quinti Manethoniani (*αὐτῇ ἐνὶ ὥρῃ*) aut oraculi cuiusdam versus apud Proclum in Tim. II 124 D (*ἐνὶ σώματι ἀργῷ*) vocali excusatur elisionem non patiente.

Apud Marcellum Sidetam (epgr. v. 2) habemus *θυσκόα ἱρά*, quocum conferendum *ἐμπάζετο ἱρῶν* ι 553. In Oppiani Halieuticis frequens est hiatus in formula illa *ἄλλοτε ἄλλος*; qui ut tolleretur, saepius *δέ* particula falso in codicibus inserta est. Sed Lehrsius recte ubique hiatum restituit (II 268. 566. IV 193) praeter v. 186 libri quarti, quem sic edidit:

*πᾶν δ' ἦμαρ ἑλίσσεται, ἄλλοτε δ' ἄλλους*
*παπταίνει θαλάμους.*

Quid hoc loco re vera tradatur, adhuc ignoratur; sed cum *ἄλλοτε ἄλλους* in omnibus libris esse et *παπταίνων* in editionibus veteribus et nonnullis codicibus legi Gerhardus dicat (Lect. Apollon. p. 182), scribendum esse videtur *ἄλλοτε ἄλλους παπταίνων*. Et aptius participium est ad describendum, quo modo et qua ratione piscis ille versetur (*ἑλίσσεται*), quam verbum finitum particula adiunctum. Omnium autem horum locorum fontem esse Homericum illum versum δ 236 supra commemoravimus.

Itaque praeter unum versum carminis cuiusdam, cui falso Theocriti nomen inscribitur (Theocr. 8, 14), ubi, ut in sequente versu in secundo pede,. ita in quinto ante *ἀμνός* hiatus admissus est — in errorem, qui hoc scripsit, eo adductus est, quod apud Homerum ante *ἄρνες* saepius hiatum esse videbat (cf. Δ 158, alibi)[29]) — et praeter versum oraculi cuiusdam, quod apud Porphyrium de vita Plotini legitur cap. 22 (v. 16 *ψυχῆς εὐκαμπέα οἴμην*) tres relinquuntur, qui saepius hoc hiatu utantur, Quintus, auctor Argonauticorum Orphicorum, Apollinaris. Quamquam

---

[28]) Locos Homericos et hic et alibi sumpsi a Knoesio, qui de hiatibus illicitis egit in libro illo de digammo Homerico p. 47.

[29]) Cf. v. Wilamowitz, Textgeschichte der Bukoliker p. 122.

Quinto quidem plerumque ex Homeri usu excusatio parata est, ut II 142 (*αὐτὰρ ὁ Ἴλῳ*), ubi Koechly et Zimmermann *γ'* inseruerunt, quod certe necessarium non esse hiatus Homero in hac formula usitatus docet, et iis locis, quibus ante *ἵππος* hiatus admittitur: I 619 *περικαλλέι ἵππῳ*, XII 423 *περιμηκέι ἵππῳ*, I 624 *ἐπεκέκλιτο ἵππῳ*, XII 571 *ἐπεμαίετο ἵππου*[30]). E quibus duo priores vel dativo excusantur; cum reliquis Homericus hiatus ante *ἵππος* in secundo pede admissus (*M* 58) comparandus est. Possis etiam *E* 748 conferre, si modo in hoc versu *ἄρ(α)* particulam tollendam esse scribendumque *ἐπεμαίετο ἵππους* Spitznerum[31]) recte iudicasse existimes; mihi quidem hoc non ineptum esse videtur, etsi Eustathi auctoritas, qua ille utitur, in hac re nulla est. Itaque unus apud Quintum excusatione caret versus 109 in libro tertio (*ἐπελήσαο ἀρῆς*). Nam et IV 245 pro aoristo *κατεχεύατο* praesens tempus sententiae magis conveniens (cf. VI 111, in eiusdem generis similitudine) Koechly recte posuit neque quin VI 154 Rhodomannus pro *ἔνθ' ἄρα ἧστο ἔνθα δ' ἄρ' ἧστο* recte scripserit, dubito.

In Orphei Argonauticis hiatus Homerico exemplo carentes leguntur v. 513 *μελαναυγέα ὄρφνην* et v. 1194 *μέγα ἄλσος*. Cum *ἐξέσσυτο ὕπνου* (v. 786) comparandum Homericum illud *τοῖσί τε ὕπνος κ* 68 in quinto pede. Itaque etiam v. 977 Wielius, cui Abelius assensus est, id quidem recte fecisse videtur, quod hiatum restituit; scripsit enim *λαιοῦ δ' ἄρ' ἐπέσσυτο ὤμου* pro *ἐπέσσυθεν*. Sed cum neque *ἐπισεύεσθαι* neque quod Gesnerus proposuit *ἀποσεύεσθαι* hic aptum sit, scribendum esse videtur *λαιοῦ δ' ἐξέσσυτο ὤμου*. Et facile fieri potuit, ut litterae *εξ* a librario praetermitterentur, sicut praetermissae sunt in Apollinaris psalmo undecimo, versu primo, quo loco *ἔφθιτο* pro *ἐξέφθιτο* scriptum est. Tum lacuna suppleta est ita, ut nec sententiae nec numeris satisfieret.

Apud Apollinarem denique bis tollendus est in quinto pede hiatus; recte enim Scheindlerus 96, 20 *ὑψόσ' ἀέρθης* scripsit pro *ὑψόσε ἤρθης*; *ἀπολύσαιο* vero 143, 17 in *ἀπολύσεαι* mutandum esse nemo est quin videat. Sed relinquuntur quattuor versus, quibus coniectura hiatum eripere non liceat: 18, 3 *προσερεύξατο ἦμαρ*, 21, 31 *κυκλώσατο ὄσσοις* (cf. *E* 310 *ἀμφὶ δὲ ὄσσε* in pede secundo); 80, 5 *σαλπίσσατε ἄνδρες*; denique 81, 5

---

30) Sic recte Koechly pro *ἐπεμαίνετο*.

31) De versu heroico p. 147.

*ὀρφανικοῦ καὶ ἀκτεάνου διαείσετε ὕβριν,*

quem versum, etsi manifesto corruptus sit, tamen ante pedem sextum hiatum habuisse sententiae structura demonstratur. Nam Scheindleri quidem coniecturam, qua *διαείσεται ὕβρις* scribi iussit, ineptam esse apparet. Wilamowitzius *διασείσετε* scribendum esse censet.

Rarior etiam quam in quinta diaeresi hiatus est in quinto trochaeo. Quem plurimi plane vitaverunt; ii, qui admiserunt, fere curaverunt, ne excusatio deesset. Velut *ι* vocalem ab elisione alienam habemus apud Theocritum (V 10 *ᾗς τι ἐνεύδειν*)[32]), Quintum Smyrnaeum (V 581 *οὔτι ἔγωγε*), Antiochum (catal. cod. astrol. I p. 109 v. 20 *νυκτὶ ὁδεύσῃ*), Dorotheum (v. 64 *νυκτὶ ἔασιν*); genetivum in *οιο* exeuntum apud Aratum (v. 45 *ποταμοῖο ἀπορρώξ*; cf. praeter ceteros locos *Ψ* 73 *ποταμοῖο ἐῶσιν*) et Apollinarem (102, 41 *ἀθανάτοιο ἀνωγῆς*); *οὖλε ὄνειρε* denique in hymn. Orph. 86, 1 ex Homero (*Β* 8 in pede secundo) petitum est, *τετύκοντο ἅπαντα* in versu quodam a Clemente (strom. V cap. XIV; cf. Callim. frgm. 145) ex Aristobulo allato ad Homericum illud *τετέλεστο ἅπαντα* (*ε* 262) formatum. Ab editoribus correcti sunt in Manethonis libro altero versus 389 et in libro quinto v. 325, in quo tamen melius cum Axtio scribes *ἔσται ἄτεκνος* pro *ἔστε ἀτέκνοις* quam, quod Koechly posuit, *ἔστεν' ἄτεκνος*, quae, ut imperfecti temporis, non apta est forma. Iniuria vero hiatus illatus est in hymn. Orph. 49, 3, quo loco Hermannus scripsit

*νυκτερινοῖσι χοροῖσιν ἐριβρεμέταο Ἰάκχου.*

In codicibus est *χοροῖσι περιβρεμέτοις ἰάχοισιν*. Mihi Ruhnkeni emendatio, qui *ἰαχῇσι* scripsit, et facillima et ad sententiam optima esse videtur, dummodo passiva agnoscatur notio vocabuli *περιβρέμετος* vertaturque 'saltationibus, circum quas sonant conclamationes'.

Praeter unum igitur versum[33]) libri primi Manethoniani (218 *μεσουρανέοντα ἄνωθεν*), cuius hiatus neglegentiae poetae tribuendus est, et versum 21 carminis Pseudophocylidei (*ἀδικοῦντα ἐάσῃς*), quo loco corrigi numeros iure vetare videtur Rossbroich (de

[32]) v. 15, 30 a Schwartzio correctus est.

[33]) Nam apud Panyassin 14, 6 (*καὶ ὕβριος αἶσα ὀπηδεῖ*) ἅμα Naekius iure videtur addidisse.

Pseudophocylideis p. 9)[34]), duo relinquuntur, qui paulo liberius hoc hiatu utantur, Apollonius et Apollinaris[35]). Nam Quintus cum scriberet IV 297 *ἐπεντύνεσθε ἄεθλον*[36]), imitatus est Apollonium, apud quem III 561 legitur *ἐρητύεσθε ἀέθλων*. Sed hi ipsi satis raro hoc hiatus genus admittunt; nam apud Apollonium praeter locum modo allatum duo exempla inveniuntur (III 1111 *ἐκλελάθοιο ἐμεῖο*, II 781 *χνοάοντα ἰούλους*, ubi Etymologicum Magnum *παρειάς*), apud Apollinarem autem praeter versum illum finali genetivi syllaba excusatum tria (39, 40 *καταφθείροιτο ἑαχθέν*; 41, 25 *πάντα ἔαχθεν*; 95, 15 *νίσσεσθε ἐπ' αὐλάς*). Nam 17, 57 pro *ἐσθλὰ ἀκούσαις* recte a Rittero scriptum esse *ἐσθλὸς ἀκούσαις* comprobari videtur versibus 40, 4 (*μακάριστος .... ἀκούσοι*) et 68, 112 (*μωμητὸς ἀκούσῃ*).

Atque Apollinaris, ut inter omnes maxime hiatui favet, quod ubique in hac quaestione agnovimus, ita in primo trochaeo licentia numerorum ceteros eum in modum superat, ut unus in hac sede hiatum extra Homerica exempla admittat[37]). Nam in Theocriti carmine XV versus 32 ab Ahrensio correctus est; quod vero in v. 149 legitur *χαῖρε Ἄδων*, id ad formulam *χαῖρε ἄναξ* (17, 135) conformatum esse Kunstius[38]) non iniuria contendere videtur. Atque quod et apud Apollonium (III 26) et in carmine de viribus herbarum (v. 146) legimus *παιδὶ ἑῷ*, id non solum dativi syllaba finali excusatur (cf. *πατρὶ ἐμῷ* Ψ 278), sed etiam Homericis quibusdam locis, quibus hiatus ante *ἑός* in primo pede admissus

---

[34]) Ceterum apud Homerum septies brevis vocalis ante *ἐᾶν* non eliditur; quod tamen non fit nisi in *ε* vocali neque umquam in quinto pede, sed in primo semper aut secundo. Locos habes apud Knoesium de digam. Hom. p. 199.

[35]) Versus Archestrati 38, 5

*ἀνθρώπων, ὅτι φαῦλον ἔφυ ἀκιδνὸν κενεόν τε ἔδεσμα*

a Meinekio correctus est.

[36]) Haec optimorum codicum lectio servanda est. Koechly et Zimmermann e codice Escurialensi receperunt *ἐπεντύνεσθαι*, quod non recte factum esse loco illo Apolloniano demonstratur.

[37]) In versu quarto frgm. Orph. 224

*ἀλλ' αὐτοῦ πεπότηνται ἐτώσιον, εἰσόκεν αὐτὴν*
*ἄλλο ἀφαρπάζῃ μίγδην ἀνέμοιο πνοῇσιν*

*ἄλλο* pro corrupto habendum est, cum neque hoc ipsum hic aptum sit neque animal animam, quacum coniungatur, *ἀφαρπάζειν* dici possit. Recte igitur Krollius, partim e Vári coniectura, proponere videtur *εἰσόκ' ἀυτμὴ ἄλλοσ' ἀφαρπάζῃ* (Procl. in Plat. rem publ. II, p. 339). Ceterum ante *μίγδην* leviter distinguendum est.

[38]) De Theocriti versu heroico, dissert. Vindob. t. I p. 121.

invenitur; cf. *Ι* 420 et 687 *χεῖρα ἑήν*, *Λ* 533 *Ζεὺς δὲ ἑὸν πρὸς δῶμα*, *ϑ* 524 *ὥστε ἑῆς*. Eandem excusationem sibi vindicat *πατρὶ ἑῷ* apud Quintum (III 122, VII 434). Nec minus et in Maximi versu 321 *οὔτε ἑούς* et apud Quintum (III 222) *αἴτε ἑόν* servandum esse versus ille *ϑ* 524 demonstrat; neque igitur erat, cur in hoc Hermannus *αἴ ῥά ϑ' ἑόν* scriberet, in illo Ludwichius *γ(έ)* adderet. Haec igitur excusantur; facili emendatione tolluntur *ὄφρα ἄν* in hymn. Orph. 86, 15 (*ὄφρα κεν* Hermannus), *ἦν δὲ ὅλως* Maneth. VI 57 (*δ' ὀλοός* Dorvillius); vocali elisa hiatus deletur Maneth. VI 439 (*σὺν δὲ Ἄρηι*) et IV 79 (*τῇ δὲ Ἄρης*). Contra apud Apollinarem unum exemplum (80, 18 *μή τι ἐμῶν*) facilem excusationem habet, quattuor non habent. Haec autem ut coniecturis tollantur, dubito an fieri non possit; nam quae Ritterus et Scheindlerus tentaverunt, probabilia non sunt. Habemus igitur 83, 16 *ἀρχὲ Ἰακώβου*, quod illos fugit; 118, 249 *μηδὲ ἐλεγχήεσσα κακορραφίη με πεδήσῃ*, ubi Scheindlerus *μηδ' ἐπ' ἐλεγχήεσσα*, quod non intellegitur, Ritterus *μή τις* vel *μήποτ(ε)*, quibus repugnant verba virorum LXX: *καὶ μὴ κατακυριευσάτω μου πᾶσα ἀνομία;* 146, 10 *οὐδὲ ἀνὴρ πινυτῆς μάκαρος κλυτὰ μέτρα νόησε*, ubi Scheindlerus *οὐδ' οἱ ἀνήρ*, inepte, Ritterus *οὔτις;* sed ne hoc quidem his virorum LXX verbis convenit: *καὶ τῆς συνέσεως αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἀριθμός*[39]); 123, 11 *δεινὰ ὀρεσσιτρόφων προφυγὼν λίνα ϑηρητήρων*, ubi Scheindlerus *δείν' ἅτ(ε)* proposuit. At inepta hic particula comparativa est, quoniam hic versus praecedit:

*νωίτερος στρουϑῷ πανομοίιος ἔπτατο ϑυμός.*

Ritterus *οὐλο(ά)* scribi iussit ex 48, 25:

*οὐλοὸν ἦδε κέλευϑος ἐπί σφισι δίκτυον εἴη.*

At hoc et audacius est et sententiam depravat, quoniam non perniciem, sed timorem illis retia tulerunt. Possit forsitan quis tentare *δείν' ὀρεσιτρεφέων;* sed malo hiatum tolerare. — Denique Scheindlerus attulit 136, 5, quem versum in Gallanti editione incipere dicit a verbis *κεῖσε ἀνειρόμενοι*. Apud Sylburgium est *κεῖσ' ἀναειρόμενοι*, falso scilicet. Quid scribendum sit, dum quid in codicibus extet, ignoratur, non apparet; certe *δέ* particula, quam Scheindlerus addi iubet, displicet[40]).

[39]) *Οὐδ' ἀνήρ* Wilamowitzius.

[40]) Ceterum quanto hiatus, qui *ε* vocali efficiuntur, et hic et alibi ceteros numero superent, satis memorabile videtur esse; quod eo fortasse factum est, quod *ε* ab *αι*, in quo sollemnis erat hiatus, pronuntiatu quidem non differebat.

Nec vero magis quam in primo pede Apollinarem post secundum trochaeum hiatum interdum admisisse negandum est. Rara sane exempla sunt; sed hunc quidem versum (43, 28)

*ἔθνεσιν ἄμμε ὄνειδος ἅπασι πέριξ τε γέλωτα*

ne Ritterus quidem tangere ausus est; atque quod ille et Scheindlerus 136, 6 *οἵ περ ἔπερσαν* vel *οἳ διέπερσαν* pro *οἵ τε ἔπερσαν* scribi iusserunt, non intellexerunt quod Sylburgius in versione Latina intellexit, *τέ* particulam vim hic habere vere copulativam. Verba enim haec sunt:

*κεῖσε ἀνειρόμενοι ληίστορες ἔννεπον ἄνδρες*
*ἡμέας οἵ τε ἔπερσαν, ἀειδέμεναί σφισιν ὕμνον·*
*ἐκ μελέων Σιῶνος ἀγακλέος εἴπατε μολπήν.*

Quibuscum conferenda sunt, quae in versione virorum LXX v. 3 legimus: *ὅτι ἐκεῖ ἠρώτησαν ἡμᾶς οἱ αἰχμαλωτεύσαντες ἡμᾶς λόγους ᾠδῶν καὶ οἱ ἀπαγαγόντες ἡμᾶς· ὑμνήσατε ἡμῖν ἐκ τῶν ᾠδῶν Σιών.* Ac videmus Apollinari, etsi non eadem sententiarum structura utebatur, tamen non dicendum fuisse ʻpraedatores, qui nos disturbaverunt', sed ʻqui (nos) ceperunt et qui nos disturbaverunt'. Sanus igitur locus habendus est. Quo magis cavebimus, ne similem hiatum, qui est 10, 14 (*πῦρ θεῖόν τε ὁμοῦ*) cum Rittero tollamus *καὶ θεῖον ὁμοῦ* scribi iubente. Contra ille v. 16, 2

*ἱκεσίῃσί τε ὄμμα μάκαρ τανύσειας ἐμῇσιν*

recte scripsisse videtur *ἱκεσίαις τεὸν ὄμμα,* quoniam particula hic non satis apta deest in versione virorum LXX. Item ille 57, 10 *δέ οἱ οὐ* pro *δὲ οὐ οἱ* et 24, 10 et 72, 55 *τ' ἄλληκτα* pro *τὲ ἄληκτα* scribendum esse recte monuit.

Quanta vero Apollinaris in hiatu licentia utatur, inde optime cognoscitur, quod apud ceteros tam rarum esse in secundo pede hiatum videmus, ut praeter Empedoclis versum 90, 2 (*ὀξὺ δ' ἐπ' ὀξὺ ἔβη*), ubi vocalis elidi non poterat, et Quinti versum XIV 444, quo loco *οὔτι ἔγωγε* in secundo, sicut V 581 in primo pede positum est, hiatu vocali facile excusato, unum inveniamus exemplum in oraculo quodam ab Eusebio praep. ev. IX 10 allato (Wolff p. 140 v. 130):

*ἀτραπιτοὶ δὲ ἔασιν ἀθέσφατοι ἐγγεγαυῖαι,*

qui hiatus quodammodo hiatu ab Homero ante *ἐών* in secundo pede (*Γ* 46 *τοιόσδε ἐών*), ante *ἔσεσθον* in quinto (*φ* 216 *τὲ ἔσεσθον*) admisso excusatur. Nam quin *οὐρεσιφοῖτα Ἔρως*, quod in hymn

Orph. 52, 10 legimus, corruptum sit, dubium non est, quoniam Baccho nihil est cum Amore. Quamquam ne id quidem, quod Hermannus e Scaligeri coniectura scripsit (*κερώς*), verum esse potest. Tentavi *οὔρεσι φοιταλέος*; et habes nominativum, ne brevis vocalis produceretur, pro vocativo positum h. 54, 4.

Apud Manethonem denique III 337 pro *αἰσχρὰ ἔτλησαν* Spitznerus iam pridem restituit *αἴσχρ' ἔτλησαν*.

In diaeresi secundi pedis qui inveniuntur hiatus, aut certa causa excusantur aut facile corriguntur. De versu quinto decimo carminis illius Theocriti nomine falso inscripti (Theocr. VIII *οὐ θησῶ ποκα ἀμνόν*) supra dictum est. Ex Homero sumpta sunt *ἄλλοτε ἄλλον* et *ἄλλοτε ἄλλα*, quae leguntur apud Empedoclem (17, 35) et Oppianum (Hal. IV 290), nam *δέ* a Schneidero recte sublatum est. Cum *ποτὶ ὄσσε* Lith. 667 conferendum est *ἀμφὶ δὲ ὄσσε* in secundo pede *E* 310. *Τί ἤ* apud Apollonium (II 390) vocali excusatur, sicut quaedam apud Quintum: I 32 *οὐδέ νύ ἐστι θεὰς ἀλιτόνθ' ὑπαλύξαι*, ubi cum Hermanno *τιν(ά)* scribere nolim, quamquam *νύ* in hiatu apud Homerum quidem non est; II 385 *ἢ βόες ἠέ τι ἄλλο*, ubi Koechly et Zimmermann *τιν' ἄλλα*; sed vereor, ne plurali numero substantivo non addito hic uti non liceat. Quae corrigenda erant, ab editoribus correcta sunt: apud Quintum III 482 *τό με εἶθε* (Zimmermann *τό ῥά μ' εἶθε*), IV 194 *αὐτίκα ἦσαν* (Spitzner *δῦσαν*), XIV 114 *ὁππόσα ἐστὶ καὶ ἔσσεται*, ubi Hermannus *τέ* particulam addidit vel propter sententiam necessariam; in hymnis Orphicis 28, 8 *περὶ ἥν* (*περὶ τήν* Hermannus); apud Apollinarem denique 134, 15 pro

*ὑετὸν αἰθέρι ἀστεροπὰς σημήια θῆκεν*

scribendum est

*ὑετοῦ αἰθέρια στεροπὰς σημήια θῆκεν*[41]).

Nec minus rarus in tertia diaeresi est hiatus; qui fere non admittitur nisi in vocalibus *ι* et *ο*. Habemus apud Theocritum *ὅτι οὐ* I 88. 91 (cf. *Ω* 593 *ὅτι Ἕκτορα* in tertio pede)[42]); apud Apollonium III 327 et Maximum v. 171 et in frgm. Orph. 26 *ἐνὶ ἤματι*; in hymn. Orph. 11, 15 *ἐνὶ ὕδασιν* (sic Hermannus pro *ἐν ὕδασιν*); Lith. 632 *περὶ ἕλκεϊ*; apud Quintum I 723 IV 49 XII 553 *τί ἤ*, II 175 *περὶ υἱέος*, I 93 *ἔργον, ὃ οὔποτε*, ubi Koechly et Zimmer-

---

[41]) *Αἰθέρια στεροπάς* Scheindlerus quoque scripserat.

[42]) Eliditur tamen in hac voce XI 54. 79.

mann *ὅ τ(ε)*; sed cf. XI 63 et *N* 100. Contra X 398 Gerhardus recte *δέ μ' ἀάσπετον* pro *δέ με ἄσπετον* scripsit. Nec dubium est, quin apud Manethonem II 256 (*ὅθι ἀργύρου*) Koechly *τέ* recte addiderit, quam particulam post *ὅθι* legimus VI 361, quamquam apud Homerum *π* 471[43]) *ὅθι Ἑρμαῖος*; in quinto autem libro v. 146 cum Spitznero pro *ἰδέ* scribendum est *ἠδ(έ)*. Nec minus facile tollitur hiatus in Antiochi Ther. v. 9 (Bussemaker p. 93; Galen. Antid. II, t. XIV Kuehn p. 185); quo loco legimus:

*σὺν δ' ὀρόβου λεῖον δύο ὀξύβαφ' ἔμπασ' ἀλεύρου.*

Scribendum enim est *λείοιο δύ' ὀξύβαφα*. Ac fortasse etiam in Dorotheo v. 13:

*ἐν τούτῳ· μετέπειτα δὲ ἓξ λάχεν ἡ Κυθέρεια*

*τέ* particulam (*θ'*) Krollius recte addidit. Denique quod in carmine Pseudophocylideo v. 227 legimus *παρὰ οἰκέτου*, hoc ex locis illis Homericis, quibus ante *οἶκος* hiatus admissus esse videretur, ortum esse apparet; aliter enim inter praepositionem et nomen gravissimus existeret hiatus. Quare ne in Manethonis quidem libro primo v. 169 Koechleium recte haec edidisse crediderim:

*ἣν δ' ἐπάνω φέρεται μετὰ Ἠελίοιο Σελήνη.*

In editione Gronovi legitur

*ἣν δ' ἐπαναφέρηται μετ' Ἠελίοιο Σελήνη.*

Unde cum Dorvillio scribere malim

*ἣν δ' ἐπάνω φορέοιτο μετ' Ἠελίοιο Σελήνη*;

nam de optativo in hoc quidem carmine securi sumus.

Unus iam restat rarissimus inter omnes hiatus; illum dico, qui est post trochaeum quarti pedis. Cuius generis praeter unum Parmenidis versum (8, 32 *τὸ ἐόν*), in quo hiatum habemus in vocali ab elisione aliena, in omnibus de quibus disputamus poetis unum est exemplum; quod legitur in carmine quodam inter Theocritea servato ([Theocr.] 23 v. 3), in quo habemus *οὐδὲ ἕν*, hiatum ex comoedia in heroicum versum translatum, si modo hiare tam artam verborum coniunctionem dicere debemus. Nam quod apud Apollinarem legimus 67, 41:

*μυρίον ἅρμα θεοῦ, πολέες δὲ ἐπ' αὐτὸ χορευταί*

hoc nemo dubitabit quin corruptum sit. Neque tamen aut cum

---

[43]) Ceterum hic quoque plerumque scribitur *ὅθι θ' Ἑρμαῖος*.

Scheindlero *δ' ἐπὶ τοῦτο* aut cum Rittero *δὲ παρ' αὐτό* scribendum est, quoniam retam illam ad saltatores non pertinere versione virorum LXX docemur, quae haec habet v. 18: *τὸ ἅρμα τοῦ θεοῦ μυριοπλάσιον, χιλιάδες εὐθηνούντων.* Immo et ex hiatu et ex caesura apparet litteras *ΕΕΠ* inepte additas esse, ut sollemnis syllabarum numerus versui redderetur mutilato. Lacuna autem non potuit esse nisi post litteras *αυτο*. Proinde scribamus:

*μυρίον ἅρμα θεοῦ, πολέες δ' αὖ τοῖο χορευταί.*

*Τοῖο* voculam eadem ratione ad nomen quod praecedit pertinentem habes 36, 73

*τέτλαθι παμβασιλῆα, φύλασσε δὲ τοῖο κελεύθους*[44]).

---

[44]) Dubitaverit forsitan quispiam de spondeo in diaeresi quarti pedis. Cuius generis versus apud Apollinarem, etsi non ita crebri sunt, tamen non desunt: 2, 12 *ἐφετμήν*, 30, 56 *ὑμέων*, 51, 12 *αὐτήν*, 79, 34 *πυρὶ λάβρῳ*, 90, 27 *ἐπιβήσῃ*, 134, 25 *Χανάαμου*, 146, 8 *ἐξονομακλήδην ὀνομάζων* ex Homero, 150, 10 *ἀλαλαγμοῦ*. Contra 30, 50 *ἄστεϊ* pro *ἄστει*, 99, 6 pro *ἡμεῖς ἡμέες*, quod est in versu antecedente pede quinto, scribendum est; versus autem primus psalmi undecimi

*Μοῦνε σάω μ'· ὅσιον γάρ τ' ἄδδην ἔφθιτο φῦλον*

hunc in modum emendandus est:

*Μοῦνε σάω μ'· ὅσιον γὰρ ἄδην ἐξέφθιτο φῦλον.*

Denique in versu 93, 3

*ἀσφαλέως δ' ἀδόνητον ἄπειρον θήκατο κόσμον,*

quo loco Hilbergius, cum *ἄπειρον ἐθήκατο* scribi iuberet (Silbenwägung p. 124), grave quoddam vitium numeris inculcavit, reponendum est *ἀπείρονα*; cf. *ἀπείρονα κόσμον* Orph. Argon. 758. hymn. Orph. XI 20 XIII 4. — Monosyllaba his locis habes: *σφέων* 15, 8; 32, 12; 63, 11; 88, 64; 143, 36; *νῦν* 83, 16; *βίην θ' ἑήν* 135, 29; *χείρ* 79, 36, ubi versus qui in editionibus sic scribitur:

*σῆς ἐπὶ φῶτά γε δεξιτερῆς χεὶρ σεῖο γενέσθω*

hunc in modum emendandus est:

*δεξιτερῆς ἐπὶ φῶτα τεῆς χεὶρ σεῖο γενέσθω.*

Contra 83, 14 pro *θεὸς θεῶν* ex apparatu Sylburgi recipiendum est *θεῶν θεός*; versus autem 132, 3, quem in editionibus sic scriptum legimus:

*μῦρον ἐπεσσύμενον κεφαλῆς δ' ὥς μέχρι γενείου*

e verbis virorum LXX (v. 2): *ὡς μύρον ἐπὶ κεφαλὴν τὸ καταβαῖνον ἐπὶ πώγωνα* hunc in modum restituendus est:

*ὡς μύρον ἐσσύμενον κεφαλῆς ἔπι μέχρι γενείου.*

Denique commemorabo v. 34, 46

*εἰ θηήσαο τοῦτο μάκαρ, μὴ δή με παρέλθοις,*

etsi vera hic diaeresis non sit, tamen et numeros (*θηήσαο*) et verba flagitare, ut hunc in modum transponamus:

*εἰ δὴ τοῦτο μάκαρ θηήσαο, μή με παρέλθοις.*

Atque in hac de hiatu brevium syllabarum disputatione consulto ea adhuc vocabula negleximus, quorum prima littera etiam Homero ϝ fuerat. Nam posteriorum temporum epici, cum ante haec vocabula apud Homerum saepius hiatum admitti viderent, eam vindicaverunt licentiam, ut ante eadem vocabula, prout commodum esset, aut consona verbum finirent aut vocali. De hoc autem hiatus genere separatim agere libet, quoniam, quo in pede hiatus admittatur, hic nullius momenti est.

Ac primum ab hac quaestione secludenda sunt pronomina *οἷ* et *ἕ*; ante quae ne hiatum admittat, ne Nonnum quidem cavere videmus. Quare, si apud aliquem ex eo numero qui ante illum fuerunt, huius generis hiatus non invenitur, casui id tribui potest; quod certe in Maximo faciendum est, poeta in hiatu alioquin minime curioso. Nec vero rursus eam cuiquam legem inculcare debemus, ne umquam ante voculas illas consona finalis ponatur; hoc enim haud raro factum esse exempla docent haud pauca, quae non debebant correctionibus tollere Hermannus (Orph. p. 781 sq.) et Rzachius (Neue Beitraege zur Technik des nachhomer. Hexameters p. 71 sq.). Nec tamen in his pronominibus multo saepius quam in ceteris vocabulis olim ϝ littera instructis hiatum inveniri quisquam negabit; quare hoc genus ut omnibus commune omittemus. Contra in ceteris vocabulis, etsi ne ante haec quidem hiatu prorsus quisquam abstinuit, non eundem omnium usum esse videmus; sed qui in vero hiatu neglegentiores sunt, iidem ante *ἔργον* et *ἄστυ* similiaque crebrius non elidunt; rursus iidem fere, qui illic elegantiores sunt, ne hic quidem maiorem licentiam sibi vindicant. Ita Callimachus in epigrammatis quidem et in versibus, qui ex Aetiis ad hanc aetatem pervenerunt, tantam in hiatu diligentiam adhibet, ut ne ante pronomina quidem illa brevi vocali verbum finire audeat, nedum ante cetera vocabula hiatum admittat. In hymnis magis Homericus est; habemus *ἄναξ* II 113 *ἄνασσα* III 204. 240, *ἴση* IV 38; praeterea in Hecala *ἄντα ἰδέσθαι.* Accedunt ex Alexandrinis in diligentiorum numerum Nicander (*ἀλώια ἔργα* Ther. 113, *ἱερὰ ἔργα* Al. 554, *φλογὶ εἴκελα* Th. 799, cf. *φλογὶ εἴκελον* *Ν* 688; *τὰ ἕκαστα* Th. 837 in secundo pede, idem eodem versus loco *Λ* 706 *ξ* 375), Moschus (*περὶ εἷο* Eur. 8), Bio (*θεήια ἔργα* frgm. 14, 9, *δὲ ἕκατι* frgm. 14, 10). Ex iis, qui post Chr. n. fuerunt,

nominandi sunt[45]) Dionysius (916 *Ποσιδήια ἔργα*, 1109 *μακάρων ἐπὶ ἔργα*; cf. *μακάρων ἐπὶ ἔργοις* Hes. Op. v. 549; v. 173 *τὰ ἕκαστα* in quinto pede), Oppianus Cilix, apud quem habemus *ἐοικώς* Hal. III 291. IV 94 et I 414 *ἀπ' ἀλλήλων δὲ ἕκαστα*, ubi tamen *δέ* particulam ineptam esse Lehrsius intellexit. Sed quod ipse scripsit, *ἀπ' ἀλλήλων δέ τ' ἔνασσας*, id nimis violenter factum est: immo scribamus *τὰ ἕκαστα*, ut sit idem hiatus, qui est apud Dionysium, poetam haud neglegentiorem. Paulo saepius quam Cilix Syrus Oppianus hoc hiatu usus est; quem admittit ante *ἔργα* (Cyn. I 37), *ἔλπετο* (I 252), *εἴκελα* (I 458), *ἄστυ* (I 489), *ἐοικώς* (II 246). Excellit denique rursus qui quartum librum Manethonianum scripsit; qui ante unum *ἔργα* (215. 279. 358) hiatum admisit. Idem etiam ante *οἷ* et *ἕ* hiatu abstinuit.

Videmus igitur apud hos quidem fere iis tantum vocibus hiatum effici, quae apud Homerum saepissime cum hiatu legantur. Apud ceteros maior et verborum et locorum numerus est; maximus nimirum apud eos, qui heroico carmine Homeri dictionem assequi student, ut Apollonius, Quintus, auctor Argonauticorum Orphicorum. Sed non solum Theocritus[46]), bucolicus poeta, verum etiam e didacticis quidam haud raro hiatu illo utuntur. Velut Aratus quidem ante *ἔργον*, *ἔοικεν* (*ἐοικώς*, *ἐοικότα*, undecies), *ἔργα*, *ἰδών*, *ἶσαι(α)*, *ἴς* octies decies vocalem brevem posuit, e recentioribus autem Maximus ante *ἄνακτος*, *ἕδνα*, *ἕκητι*, *ἔργα*, *ἤθεα* duodecies[47]), Manetho (l. II III VI) ante *ἄστυ*, *εἰδώς*, *ἑκόντες*, *ἔργα*, *οἴκῳ*, *ἕθεν* novies, auctor Lithicorum ante *ἰδών*, *ἴδηαι*, *ἔοικας*, *ἕκαστα*, *ἡδύ* quinquies[48]). Apollinaris vero

[45]) Fragmenta in hac disputationis parte omitto, item carmina bucolica minora, quoniam haec nihil docent. Commemoro tamen ex vetustiorum numero Xenophanem et Parmenidem hiatum ante vocabula olim *F* littera instructa in his, quos habemus, versibus non admittere, Empedoclem saepius hoc hiatu uti [17, 23 *ἄρθμια ἔργα*, 35, 17 *θαῦμα ἰδέσθαι*, 112, 1 *μέγα ἄστυ*, 118 *κώκυσα ἰδών*, 125 *νεκρὰ εἴδε' ἀμείβων* (codd. *ἠδέ*, corr. Sylburg), 129, 1 *περιώσια εἰδώς*]. Praeterea habemus apud Panyassin 12, 7 *πυρὶ ἶσον*, apud Antimachum 44 *πυρὶ εἴκελον*. Denique commemoro apud imitatores Bionis (epitaph. Bionis, epithal. Achillis) hoci hiatus genus non inveniri. In Andromachi elegia semel legitur *μαλθάσσεο οἴνῳ* (v. 165).

[46]) Qui apud hunc sunt hiatus, habes in Kunstii dissertatione p. 119, ub addendum est *ἐρυσσαμένῳ* 22, 191.

[47]) v. 471 (*πονέεσθε ἕκαστα*) Ludwichius recte scripsit *πονέεσθαι*.

[48]) In hymnis Orphicis hiatus est ante *ἄναξ* (*κτος*, *-τι*, *-τες*), *ἄνασσα*, *ἑκηβόλε*, *οἶκον*, octies.

etiam in hac re Homerum imitatur; habet enim huius generis hiatus duos et quadraginta[49]). Habemus enim *ἄναξ, ἀνάσσων, ἄστυ, ἐοικώς* (*-κότα*), *ἔπος, ἔργα, ἐρυσσάμενος, οἶνον, ᾧ*. Nam quod Koechly 107, 2 pro *κύδεϊ ᾧ* scribi iussit *κυδιόων*, quam coniecturam Ritterus commendat, fugisse eum videtur hic non esse pronomen relativum, sed possessivum primae personae verbaque formata esse ad Homericum illud *θάρσεϊ ᾧ Η* 153. Contra 137, 21 *ὑπερόψεαι* (*ἔργα*) pro *ὑπερόψεο* scribendum est.

Iam ad heroicorum carminum scriptores venimus. Atque qui apud Apollonium huius generis hiatus sunt, collectos habes a Rzachio in studiis Vindobonensibus t. III p. 60 sq., ubi addenda sunt *κατὰ ὦλκα*(*ς*) III 1332. 1035 (cf. *Ν* 707 *κατὰ ὦλκα*) et *πυρὶ εἰκάθοι* III 848[50]). Ex Orphei autem Argonauticis et Quinto Smyrnaeo vocabula quae huc pertinent ascribam, ut quo discrimine illi a ceteris separentur, appareat. In Argonauticis igitur haec sunt: *ἄνακτος*(*τι*), *ἀνάσσης, ἄστυ, ἕκαστον*(*ας*), *ἑκών, ἔργον*(*α*), *ἴδωμεν, ἰδέσθαι, ἴσος, οἶκον, οἶνον, ἐπὶ οἴνοπα πόντον*; quae in duobus et viginti versibus inveniuntur. Quem in numerum etiam versum 943 recepi, qui sic scriptus in codicibus extat:

*ὄφρ' ἐμὲ γουνάσσωνται, ἐπιστείβωσι δὲ ἔργον,*
*Ἄρτεμιν ἵλασθαι θέλξαι θ' ὑπερήνορα θῆρα.*
*ὣς οἵ μὲν λίσσοντο περισταδόν.*

Atque Hermannus, cum orationem turbatam esse intellexisset, scripsit *ἐπιστείβουσί οἱ ἔργον*; sicut huic poetae *οἱ* voculam crebrius quam felicius reddere conatus est. Melius sic scribes:

*ὄφρ' ἐμὲ γουνάσσωνται ἐπιστείβειν τόδε ἔργον·*
*Ἄρτεμιν ἵλασθαι θέλξαι θ' ὑπερήνορα θῆρα.*

Facillime fieri potuit, ut una littera mutata *ΕΠΙΣΤΕΙΒΟΙΝΤΟΔΕ* scriberetur; quod in *ἐπιστείβωσι δέ* corrigendum esse cuivis videri poterat.

Quintus Smyrnaeus ante haec vocabula hiatum admisit: *ἄνακτος, ἄστυ* (*εος*), *ἕδνοις, εἴδομαι, εἴκειν* (*κων*), *εἴπῃ, ἑκάστῳ, ἕκηλον, ἑκοῦσα, ἔλπῃ* (VI 418 *ἢ ἔτι ἔλπῃ*, Hermannus et editores *ἔτ' ἐέλπῃ*, sed cf. apud Homerum *Ι* 371 *ἔτι ἔλπεται*), *ἔοικεν* (*κας*), *ἐῴκει, ἐοικώς* (*κότες*), *ἔργον* (*α*), *ἕρκος* [*μέγα ἕρκος* II 390 et III 433 in secundo pede, quamquam ante hanc vocem apud Homerum hiatus non

---

[49]) Locos habes apud Ritterum l. a. p. 15, qui tamen nonnullos omisit.
[50]) Futiles sunt coniecturae, quas de hoc loco Rzachius profert p. 64.

est nisi in primo pede (*E* 90), sed cf. *ποτὶ ἑρκίον σ* 102], *ἕσσαι, ἡδύ, ἦρα, ἰδόντες, Ἴλιον* (ου), *ἴς, ἶσος* (α), *οἶδα* (*-σθα, -δας, -δε*), *ἴστε, ἤδη, οἴνῳ* (I 795 *εὐώδεϊ οἴνῳ*, XIII 19 *φρένα οἴνῳ*, ubi *φρένας* Koechly), *ὅς* (IV 584 *περὶ κάρτεϊ οἷς ποσὶ θύων* in quarto pede, II 441 *δέξατο οἷσι δόμοισι*, III 526 *αὐτὰρ ὁ οἷς ἑτάροισιν*, VIII 377 *οἱ δ' ἄρα ἧσιν*, haec in primo pede; quae exempla praeter primum omnia variis modis Koechly sustulit, quod dubito quam recte fecerit).

Hactenus de hiatu, qui brevibus vocalibus efficitur; iam ille aggrediendus est, qui fit syllaba longa in vocalem vel diphthongum exeunte, quae ante sequentem vocalem non corripitur. Qua in re primum *ἤ* particula excipienda est, quae cum apud Homerum saepissime longitudinem suam ante vocalem servet, eam apud recentiores habet exceptionem, ut hiatum patiatur non minus quam correptionem. Nota haec res est; atque cum accuratissimam de ea habeas Naekii disputationem in Hecala p. 240 sq., pauca illi ignota addere et si quid non recte iudicatum videatur, corrigere satis habeo. Ac primum in Callimacho ex Hecalae fragmentis nuper repertis addendum est *ἢ ἔνδιος*, addendum etiam frgm. 43, quod Naekius codicem quendam Suidae secutus, in quo est *πανύχιον* — in ceteris est *πανύστατον* — sic restituendum esse putabat:

*αἴθ' ὄφελες θανέειν ἢ πάννυχον ὀρχήσασθαι.*

Et hoc Schneiderus recepit. At qui fieri potuit, ut Suidas vel auctor Suidae, si *πάννυχον* legeret, noctuam saltare diceret, quod diuturno tempore cernere nequiret? (*ἡ δὲ μὴ βλέπουσα δι' ἡμέρας ὥσπερ ὀρχεῖται.*) Neque igitur dubium est, quin Bentleius recte scripserit *ὕστατον*. Denique e Dorotheo addendum est *Ἄρεως ἢ ἀστέρος* v. 99. De Maximo autem commemorandum est recte Ludwichium v. 532 *ἠδ(έ)* pro *ἤ* posuisse, inveniri tamen hiatum v. 564 et v. 548, ubi pro *ἠδ(έ)* Ludwichius Gerhardum secutus *ἤ* scripsit; qui tamen non debebat suadere, ut *Διδύμοισιν* scriberetur; pessimorum enim numerorum tum evaderet versus.

Ceterum, priusquam rem ipsam aggrediamur, altera quoque particula excipienda est, quae quamquam non eadem qua illa licentia fruitur, tamen in certis versus heroici sedibus hiatum interdum patitur. *Καί* enim particula cum apud Homerum nonnullis in versibus, si in quarto aut tertio pede collocata erat,

non corriperetur, posterioribus quoque temporibus apud quosdam epicorum hanc sibi servavit licentiam. Hoc in quarto quidem pede iam Hermannus cognovit[51]); satis igitur habebo locos adscribere, ut elegantiores quidem ab hoc hiatu abstinuisse ostendatur. Habemus igitur apud Aratum v. 859 *καὶ οἰχομένοιο*[52]), 1024 *καὶ ὄρνεα,* Apollonium II 762 *γενεὴν καὶ οὔνομ' ἑκάστου,* Nicandrum frgm. 109, 2 *καὶ Ὀνθίδα λίμνην* (*καὶ Ὀανθίδα λίμνην* Meinekius), in carmine de viribus herbarum v. 47 *καὶ ἕρκος*[53]); in hymnis Orphicis prooem. v. 7 *καὶ ἤιε Φοῖβε;* 38, 14 *τροφέες καὶ αὖτ' ὀλετῆρες,* ubi Hermannus et Abelius *τέ* addere non debuerunt; apud Quintum VII 234 *γενεὴν καὶ οὔνομ' ἑκάστου* ex Apollonio; apud Apollinarem denique 83, 20 *θεοῦ καὶ οἰκτρὸν ἀκοῦσαι,* 140, 6 *φυλακὴν καὶ ἕρκος ὀδοῦσι.* His igitur versibus contra coniecturas corrigentium praesidio fuit, quod, cum quis *τέ* inserebat vel similia remedia adhibebat, post quartum trochaeum efficiebatur caesura; quamquam in hac quoque re quidam peccaverunt, ut Scheindlerus. Quod praesidium tertio pedi deest; immo plerumque numeri meliores fient, si quis *τέ* addere aut alio modo trochaicam caesuram versui reddere voluerit. Itaque non raro versus hoc hiatu instructi ab editoribus correcti sunt; quod num iure fecerint, ut cognoscamus, omnia exempla apponam additis etiam Homericis[54]). Habet igitur Homerus:

*τ* 174 *πολλοὶ ἀπειρέσιοι καὶ ἐννήκοντα πόληες.*
*N* 316 *Ἕκτορα Πριαμίδην, καὶ εἰ μάλα καρτερός ἐστιν*[55]).

Andromachus:

v. 131 *ἢ ἔτι καὶ σμύρνης καὶ εὐόδμου κόστοιο*[56]).
153 *καὶ μαράθρου σπέρμα καὶ Ἰδαῖον καρδάμωμον.*
161 *δαύκου τε σπέρμα καὶ αὐαλέην ἄσφαλτον.*

---

51) Orphica p. 758.

52) Haec enim Marciani codicis lectio mihi videtur servanda esse.

53) Nam malo hunc hiatum particula quam hiatibus illis Homericis, quos supra commemoravi, excusare.

54) Homerica sumpsi ex Harteli studiis Homericis, parte II p. 20. Ceterum omisi v. 67 hymni secundi Callimachei, quo loco Bentley recte *οἰκιστῆρι* pro *οἰκιστήρ*; item Maximi versus 312 et 521; illum enim Ludwichius, qui *καί τ' εἰ* scripsit, hunc Gerhardus, qui collato v. 303 *ἄν κε καί* posuit, emendavit.

55) Ceterum hic versus in optimis codicibus non legitur.

56) v. 147 in editione Galeni legitur *μίλτοιο καὶ ἐκ Πόντοιο.* Bussemakerus *μίλτου* scripserat; Schneiderus *μίλτοιο* restituit.

Sed hos quidem versus duos corruptos esse quivis videt. Atque alterum Schneiderus correxit *σπερμεῖα* pro *σπέρμα* reposito; idem v. 153 scribendum esse videtur, ubi Bussemakerus et Schneiderus non bene *καὶ μαράθροιο σπέρμα.*

Marcellus Sideta de piscibus:

7 *παμμέλανες, περκνοὶ καὶ αἰόλον εἶδος ἔχοντες.*
34 *κάραβος ὀκριόεις καὶ εὐόνυχες κήρυκες.*

Oppiani Cyneg. III 411:

*ἑρπηστῆρας ὄφεις καὶ ἀργαλέους κροκοδείλους.*

Hymn. Orph. prooem. v. 32:

*δαίμονας οὐρανίους καὶ ἠερίους καὶ ἐνύδρους.*

Orph. frgm. 222:

*πολλάκις ἀνθρώπων καὶ υἱέες ἐν μεγάροισιν.*

Oraculum apud Eusebium praep. ev. V 15 (Wolff p. 137 v. 121):

*χαλκοῦ καὶ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου αἰγλήεντος.*

Ammo:

8 *ῥηιδίως δ' ὁ λαβὼν καὶ ἀσπασίως ἀποτίσει.*

Antiochus (catal. cod. astrol. I):

p. 109 v. 2 *ζωῆς σῆμα δύνει καὶ ἄγρια πήματ' ἔδωκεν.*

Sic editur cum gravi quodam prosodiae mendo. In codice legitur *ζωήσημα δύνε.* Unde scribendum est

*ζωὴν ἠμάλδυνε καὶ ἄγρια πήματ' ἔδωκεν.*

Asyndeton habes consimile ibidem p. 112 v. 22.

p. 112 v. 1 *εὐδήλους τοκέας καὶ εὐπρεπέας ⟨τε⟩ φίλους τε.*
p. 112 v. 9 *ἢν δ' Ἄρης νεύσῃ καὶ ἐς δρόμον ὠκὺν ἐλαύνῃ.*

Dorotheus:

48 *τῷ δ' ὕπο Θρηικίων καὶ Αἰθιόπων κλίμα κεῖται.*
66 *Ταύρου Παρθενικῆς καὶ Αἰγοκέρω κρατέουσιν.*
208 *δῖα Σεληναίῃ καὶ Ἰχθύσιν ἀμφὶς ἐοῦσα.*
322 *ὕστερον αὖ φυλακὴν καὶ ἄλγεα φεύξεται αὐτός.*
336 *αὐτὰρ ἐν Ὑδροχόῳ καὶ Ἰχθύσι δὴν μενέουσι.*

Manetho[57]):

II 172 *πρὸς δ' ἔτι ἀργαλέους καὶ εὐτόλμους καὶ ἀτρέστους.*
II 274 *δυσγαμίην τεύχει καὶ ἐκ λεχέων μάλ' ἀνίας.*
II 281 *σὺν σφετέραις ἀλόχοις καὶ αὐτῶν εἵνεκα δῆτα.*
III 330 *ὑβρισταὶ λεχέων καὶ ἀλλοτρίων ὑμεναίων.*

---

57) II 224 correxit Koechly.

VI 125 ὡς δ' αὔτως ἀτροφεῖς καὶ ὅσσοις γεινομένοισι.
VI 210 ἐκ δ' ἀλόγων λώβας καὶ ὕβριας αἰὲν ἔχοντας.
VI 536 ὡρονόμῳ δὲ Κρόνος καὶ Ἄρης ὁππότε κέντρῳ.
VI 751 αὐτὰρ ἐγὼ Μούσῃ καὶ αἰθερίοισιν ἅμ' ἄστροις.

in quarto libro:

60 αἱμυλίους τεύχει καὶ εὐμούσους καὶ ἀμόχθους.
76 παμβλαβέας τεύχει καὶ ἀχρήεντας ἰδέσθαι.
118 χωλόποδας τεύχει καὶ ἀσθενέας καὶ ἀώρους.
445 μυθολόγους τεύχει καὶ αἰσχεορήμονας ἄνδρας.

in primo et quinto:

I 106 Αἰγοκέρῳ Κύπρις καὶ Ὑδροχόῳ παρεοῦσα.
I 141 καὶ καρποῖς γαίης καὶ εὐρείθροις ποταμοῖσι.
I 171 θλίψεσιν οὐλομέναις καὶ ἀργαλέαις πενίῃσιν.
I 204 καὶ Διὶ καὶ Μήνῃ καὶ Ἠελίῳ βασιλῆι.
I 321 Ἠέλιος δὲ Κρόνου καὶ Ἄρεος ἀστέρας ἀθρῶν.
V 65 καὶ φυγάδας τεύχει καὶ ἐν νήεσσιν ἀλήτας.
V 71 εὐπορίην δηλοῖ καὶ ὀψίτυχόν τινα πίστιν.
V 178 καὶ σὺν τῷδε Κρόνον καὶ Ἑρμείην παρεόντα.
V 238 καὶ πάτρης εἴξει καὶ ἐν ξείνῃ διατρίψει.
V 285 καί ῥ' οὕτως παρέχει, καὶ ἦν ἐπίδοξα τὰ φῶτα
V 301 ἐκ πενίης πλουτεῖ καὶ εἰς πενίην ἀνακάμπτει.

Quintus:

VI 432 ὕστερον οὐκ ἀλέγω, καὶ εἰ παρὰ ποσσὶν ὄλεθρος.
X 277 ὡς δ' ὅτε τις νούσῳ καὶ ἀργαλέῃ μάλα δίψῃ.
XI 252 κτεῖνον ἀνηλεγέως, καὶ εἰ μάλα φίλτατος ἦεν.

Apollinaris:

8, 15 ἀγρονόμους τε βόας καὶ εἰροπόκων γένος οἰῶν.
35, 11 σεῖο δ' ἀληθείῃ καὶ ἐν νεφέλῃσι χορεύει.
70, 40 σὸν σθένος ἀγγέλλων καὶ εὐδικίην ἐρατεινήν.
102, 16 ἡγητὴρ ἐλέου καὶ ἠπιόθυμος ἐτύχθη.

Videmus hunc hiatum ab Alexandrinis alienum esse[58]), inferioribus temporibus satis late patere ita, ut alii quasi legitimo utantur, alii rarissime admittant. Ac Manethoni quidem et Doro-

---

[58]) Non esset ab hac aetate alienus, si frustulum epithalamii cuiusdam nuperrime editum (Hunt, catalogue of the Greek papyri in the John Rylands library vol. I p. 28) Theocriti temporibus tribuendum esse constaret. Hic enim habemus hunc versum:

καὶ παίδων παῖδας καὶ ἐς βαθὺ γῆρας ἱκέσθαι.

theo coniecturis hanc licentiam eripere velle audacioris est; quod in Manethone iam Gerhardus cognovit, quamquam nonnulla ipse quoque iniuria tetigit. Quem utinam secutus esset Koechly. Sed hic omnibus locis Manethonianis hiatum *καί* particula effectum expulit violentissimis plerumque usus medelis. Satis habebo quaedam notare, quae cum corrigeret, manifesto ille erravit. Atque quod in libro sexto Manethonis v. 25 e Gerhardi coniectura scripsit *καὶ ὅσοις ἐπὶ γεινομένοισι*, hoc non recte factum esse demonstratur versibus 20, 151, 300, in quibus dativum habemus sine praepositione. Recte igitur Dorvillius pro *ὅσοις*, quod in editione Gronoviana legitur, *ὅσσοις* posuit. Item, quod v. 751 Gerhardum secutus *Μούσῃσι* scripsit, hoc falsum esse ex initio libri cognoscimus, quo (v. 2) unam poeta vocaverat Musam. In primo autem libro v. 203 *τέ* admodum molestum est; quis enim credat inter septem eiusdem ordinis membra sex sola particula *καί*, unum septimum duabus particulis adiungi? Neque in quinto libro v. 301 illa particula magis apta est. In eodem vero libro v. 285 ille cum scriberet *ἦν καὶ ἐπίδοξα*, leve numerorum vitium graviore mutavit. Nimis denique violenter fecit, quod in quinto libro v. 65 *καὶ ἐνὶ ξενίῃσιν* et v. 283 *ἠδ(έ)* pro *καί* posuit.

Manethoni igitur non minus quam Dorotheo hiatus illi condonandi sunt; neque Orphicos versus aut oraculum illud ad politioris artis normam corrigere quisquam audebit. Sed de ceteris haudquaquam promptum est iudicium. Saepissime enim tam facile est emendare, ut nefas esse videatur carmina politiore arte composita tali mendo non liberare; velut in Andromachi quidem, poetae elegantissimi, elegia v. 131 Bussemakerum *τέ* recte addidisse censeo, sive coniectura invenit sive e codice sumpsit. Nec minus Marcelli Sidetae versus illos Godofredus Hermann et Maximilianus Schneider *τέ* particula addita iure videntur correxisse. Quin etiam in Antiocho astrologo hoc quidem certum est, p. 112 v. 1 scribendum esse *ἐνπρεπέας*; fortasse etiam v. 9 *νεύσῃσι* pro *νεύσῃ* recte ponetur. Itaque Oppianum quoque, poetam in hiatu haud incuriosum, uno illo exemplo a severis quibus ille se obstringere solet legibus alieno cum Lehrsio liberare malim, quam cum illo, qui nuperrime Cynegetica edidit, semel peccatum esse credere. Contra Ammonis versum illum satius esse videtur non tangere. Quamquam non tam

certa quam veri similia in hac re praestari posse manifestum est. Velut in Quinto quid faciendum sit, non satis apparet. In quo *εἰ καί* pro *καὶ εἰ* ab editoribus ponitur VI 432 et XI 252, non sine probabilitate illud quidem, quoniam *εἰ καὶ μάλα τις θρασὺς εἴη* I 606 in codicibus extat et similia apud Homerum leguntur (*ϑ* 139 *εἰ καὶ μάλα καρτερὸς εἴη,* 217 *εἰ καὶ μάλα πολλοὶ ἑταῖροι*). Itaque illud quoque quod relinquitur (X 277) *τέ* particula addita recte a vitio vindicatum esse videtur.

Contra apud Apollinarem certa sunt hiatus exempla 8, 15 et 35, 11; nam Scheindlerus, cum *ἐνὶ νεφέλῃσι* scriberet, vitium vitio permutavit. Neque igitur in duobus illis versibus qui relinquuntur neque *τέ* addendum neque, quod in altero volebat Koechly, *ἐλέοιο* scribendum esse videtur[59]).

In pedibus igitur tertio et quarto hiatus in particula *καί* nonnumquam ferendus est; sed expellendus, si alio loco deprehenditur. Quod raro fit et ita, ut numquam desit emendatio. Recte enim in Maximo v. 63 *ἠὲ καί* pro *ἢ καί* in primo pede Gerhardus scripsit; in Apollinari autem 89, 30 et 136, 13 *καὶ ἐυφροσύνῃ* legendum est. In versu vero quinto psalmi 81 (*ὀρφανικοῦ καὶ ἀκτεάνου* Ritterus recte *τέ* videtur addidisse[60]).

Haec praemonenda erant, ne disputationis ratio particulis exceptionem vindicantibus turbaretur. Relictis igitur illis videamus, qui epicorum recentiorum usus sit in producendis ante vocalem vocalibus. Atque cum apud Homerum in duabus sedibus saepius hoc hiatus genus inveniatur, etiam e recentioribus nonnulli in iisdem sedibus, pede primo et quarto, subinde productionem admittunt. Quam in quarto pede ne elegantiores quidem prorsus vitaverunt, velut apud Callimachum habes frgm. 202 *Ἰοκάστου Αἰολίδαο*[61]), in nomine proprio scilicet, in Oppiani Halieuticis II 342 *χαλκείῃ ὥστε πυράγρῃ*, quo loco Lehrsius *χαλκείης ὥστε πυράγρης* scripsit, quamquam cancri bracchia aptius cum una forcipe comparantur; in quarto libro Manethoniano v. 249

---

59) Ceterum *καί* cum hiatu ante *ἤπιος* bis legitur apud Homerum (*β* 230, *ε* 8) in quarto pede.

60) Cf. versum simili ratione constructum 24, 16:
*πρηΰνοός τε καὶ ἰθύδικος θεὸς αἰὲν ἐτύχθη.*

61) Ne cum Rauchio et Schneidero *Ἰοκάστεω*, rarissimam formam, ponamus, exemplo Apolloniano prorsus simili (I 72) monemur. Apud Homerum vero plura genetivi in *ου* exeuntis exempla in quarta sede inveniuntur.

*Κυθήρῃ Ἄρεϊ βαίνῃ*, quo loco Koechly *Κυθηριάς* nimis audacter posuit; praeterea apud Archestratum frgm. 48 *ἐν ἐλαίῳ ἠδὲ καὶ οἴνῳ*, Aratum v. 392 *ἀγανοῦ Ὑδροχόοιο*, 753 *φαεινοῦ ἠελίοιο*, in carmine Theocrito falso attributo (Theocr. 9, 19) *ζεῖ, ἐν πυρὶ δ' αὖαι*[62]), apud Apollonium I 72 *Ἴρου Ἀκτορίδαο*, 774 *φαεινῷ ἀστέρι ἶσος* (cf. *φαεινῷ ἐν πυρί* E 215), in hymnis Orphicis 29, 8 *πολυμόρφου Εὐβουλῆος*, 79, 5 *ὅτε Πυθοῖ ἐμβασίλευε*, in Manethonis libro altero v. 121 *καὶ τόξον ἄγχι κορώνης*, ubi pluralem numerum ponere Koechly non debuit — contra v. 233 *τεύκτορας* pro *εὕρετο* ingeniose ille scripsit — apud Dorotheum v. 15 *ὑπὸ δ' αὐτῷ*[63]) *ἔπλετο πᾶσα*, v. 173 *ἐλαφρὴ ἔσσεται ὠνή*, Quintum in hemistichio *ἐτόλμα ἐγγὺς ἱκέσθαι*, quod bis legitur (III 141, IV 326); contra XII 394 *γνώμεναι* recte Rhodomannus pro *γνῶναι*. Apollinaris hoc hiatu abstinuit. Ceterum notandum est numquam *αι* in quarto pede produci; quod ne apud Homerum quidem fit.

Hiatu in quarto pede haud rarior, immo duplici fere exemplorum numero insignis in primo pede hiatus est. At tamen elegantiores quidem hoc prorsus abstinere videmus ita, ut apud Alexandrinos praeter Aratum (v. 34 *ἄντρῳ ἐγκατέθεντο*) et Apollonium (I 251 *δειλὴ Ἀλκιμέδη*, III 745 *ναῦται εἰς Ἑλίκην*) non inveniatur, si modo in carmine illo, quod inscribitur Hercules (Theocr. 25) v. 275 Meinekius recte scripsit ordine verborum mutato *οὐδὲ λίθοις τμητή* et Euphorionis frgm. 91 (*ἤ οἱ Εὐάρχοιο*) sine dubio mendosum esse recte Kaibelius censuit. Contra in versibus illis, qui inter dubia Euphorionis fragmenta habentur (frgm. 185 v. 3) *δίνῃ ἐν ποταμοῦ* recte Wyttenbachius scripsisse videtur pro *δίνῃ ἐν ποταμῷ*[64]). Apud recentiores vero, Oppianis et si qui melioris notae sunt, exceptis, haud raro talis hiatus invenitur: ut apud Rufum Ephesium (Bussemaker p. 90) v. 3 *κίστου ἀνθήεντος*, Maximum v. 303 *βλάψει, εἴ κεν*, Marcellum Sidetam epgr. v. 90 *νηῷ ἐγκατέθηκε* — contra in carmine de piscibus v. 14

*γόγγροι ἐγχέλυές τε καὶ αἰνόμοροι σμύραιναι*

Hermannus iure *τέ* addidit — in carmine de viribus herbarum

---

[62]) Wilamowitzius conferri iubet Φ 362, ubi *ζεῖ* in hiatu est in secundo pede. Conferri possunt etiam Δ 554 Ρ 663, quibus locis *τρεῖ* in diaeresi quarta cum hiatu legitur.

[63]) Sic Koechly pro *αὐτόν*.

[64]) Megarae v. 68 Hermannus correxit.

v. 32 *φεύγει, ἥν τις ἔχῃ ἐν ὁδῷ*[65]), in hymnis Orphicis 48, 3 *μηρῷ ἐγκατέραψας,* 38, 27 *πνοιαὶ ἀέναοι*, in frgm. Orph. 123 v. 21 *αὐδὴ οὐδ' ἐνοπή*, apud Manethonem II 228 *δήμου ἡγητῆρας*, ubi non opus est particula *τέ*, quam Koechly Axtium secutus addidit, III 49 *αὐτοῦ, ὡς*, 364 *φθείρει Ἠελίοιο*, 439 *ῥέζει ἐν δισσῇσιν*, apud Quintum Smyrnaeum IV 208 *Λοκροί· αἶψα δέ*, 519 *κάπνῳ ἢ ὁμίχλῃ*. Haec certa sunt in Quinto exempla; cum probabilitate aliqua correcta sunt VII 77, ubi codices habent *πνοιή*, Bonitzius *πνοιῆς* posuit, XI 361 *τοῖαι Ἀργείων,* ubi Spitznerus *ἄρ(α)* addidit. Contra XII 309 (*πρίν μοι ἀμφὶ παρειά*) neque Hermanni *πρίν γέ μοι* neque quod Koechly scripsit *πρίν μοι ἔτι* placet. — Quae in Orphei Argonauticis inveniuntur exempla duo, corrupta sunt. Atque v. 1187 Hermannus correxit, qui *ἐπ(ί)* addidit; v. 1140 sic in codicibus scriptus legitur:

*καὶ δ' αὖ αἱ ψυχαὶ μετεκίαθον εἰς Ἀχέροντα.*

Hermannus more suo *οἱ* posuit; Abelius e Wielii coniectura *αἶψα* scripsit; quod neque sententiae convenit neque emendationis facilitate commendatur. Utrumque praestabimus, si scribemus:

*καὶ δ' αὖθι ψυχαὶ μετεκίαθον εἰς Ἀχέροντα.*

Contra apud Apollinarem, praeterquam quod 7, 13 *καί μεν ἐν οὐλομένων* et 72, 47 *σῇ ἐυκλείῃ* scribendum est, omnia integra relinquenda sunt. Inter omnes enim huius quoque hiatus amantissimum Apollinarem esse his locis cognoscimus: 17, 57 *ἐσθλῷ ἀνέρι* (ubi Volkmannus et Ritterus *δέ* addiderunt; debuerunt certe *τέ*, sed melius particula deest); 111, 4 *ὄλβῳ ἰθυνόοισι* (Scheindlerus *ἰδ(έ)* addidit, quo libenter caremus); 118, 17 *εἰ μὴ ἐννεσίας μάκαρος πραπίδεσσι φυλάξοι*, ubi Ritterus *ἦ μήν*; sed quamquam optativus absolutus haud male verbis virorum LXX convenit, dubito, quam recte *ἦ μήν* cum optativo coniungatur; ceterum eundem in primo pede hiatum habes Σ 193 *εἰ μὴ Αἴαντος*; 72, 3 *καί μεν ἔνθα* (Ritterus *καί κέ μεν ἔνθα,* falso); 55, 9 *αἰεὶ ἀμφ(ί)* (cf. ϑ 468 *αἰεὶ ἤματα* in primo pede); 32, 43 *καί οἱ ἡμετέρη ὄνομα κλυτὸν ἐλπίς ἐτύχθη*, ubi Ritterus *ἑόν* scribi iussit, *οἱ* in hac sen-

---

[65]) Kaibelius (Herm. XXV p. 106), qui et hiatum vitiosum putabat nec sententiam illam *ἥν τις ἔχῃ ἐν ὁδῷ* iteratam tolerari posse censebat, scribi iussit *φεύγει, ἐπήν τι κίχῃ*. Quod mihi non modo supervacaneum, verum etiam deterius esse videtur traditis verbis; bis enim monere lectorem, ut in itinere herbam illam salubrem secum gerat, minime ineptum est.

tentia locum non habere arbitratus; at habes eiusdem generis dativum 33, 9 *καί οἱ φρεσὶ φέγγος ἑλέσθαι*; 36, 71 *ἀλλ' οὔχ οἱ παλάμῃσι θεὸς λείψει μιν ἐέλδωρ*, ubi versio virorum LXX *εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ*, praeterea 45, 9; 60, 13; 67, 12. 56; 102, 2; 104, 8; 106, 17; Scheindlerus *καὶ γάρ οἱ*; at in versione virorum LXX v. 21 legimus *καὶ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ ἠλπίσαμεν*; 70, 30 et 105, 26 *καί οἱ αἰνετὸν ὕμνον*; 108, 15 *καί οἱ ἱροσύνην*[66]), 144, 29 *καί οἱ εὐδικίῃ τελέθει κεκερασμένη ἔργοις*, ubi Ritterus *ἠδέ οἱ*, quod falsum esse docent verba virorum LXX: *πιστὸς κύριος ἐν τοῖς λόγοις αὐτοῦ καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ*. Ceterum hiatus in vocula *οἱ* admissi Homericum habes exemplum: *E* 270 *τῶν οἱ ἓξ ἐγένοντο*.

Extra pedes vero primum et quartum longa vocalis vel diphthongus ante vocalem in thesi a recentioribus tam raro producitur, ut praeter versum Orphicum, qui legitur in hymnis 15, 1

*Ζεῦ πολυτίμητε, Ζεῦ ἄφθιτε, τήνδε τοι ἡμεῖς*[67]),

cui anaphora quam dicunt excusationem praebet, et alterum Quinti (XIV 181), quo loco verba *οὗ υἱέος* ex Homero (*Ω* 122) in tertio pede repetuntur, tres habeamus versus[68]), in quibus secundum pedem vocalis aut diphthongus occupaverit non correptus ante vocalem, unum apud Archestratum (23, 3):

*εἶτα κυμίνῳ αὐτὰ πάσας ἁλὶ μὴ συχνῷ ὄπτα*,

alterum in Anonymi Theriaca, quae legitur apud Bussemakerum p. 90, in Galeni editione Kuehniana tomo XIV p. 100, v. 37:

*καὶ κιναμώμου εἰσὶν ἴσαι, καὶ κόστου ἐπ' αὐτῷ*,

tertium denique apud Apollinarem (7, 35):

*κὰκ κεφαλῆς οἱ ἄλγος ἐπιστρέψειεν ἑτοῖμον*.

Sic enim scribendum est. Ludwichius id posuit, quod codices exhibent, *κὰκ κεφαλῆς*; sed illud verum esse his virorum LXX verbis demonstratur (v. 17): *ἐπιστρέψει ὁ πόνος αὐτοῦ εἰς κεφαλὴν αὐτοῦ*.

---

[66]) Quamquam hoc carmen interpolationis suspicionem movet.

[67]) In codicibus legitur *πολύτιμε*.

[68]) Nam *μέμνησαι ἥβης*, quod apud Apollinarem (24, 13) legitur in fine versus, ita corrigendum esse, ut scribatur *μεμνήσεαι*, apparet. Nec minus hic oraculi cuiusdam versus (Damasc. II, 88, 3, Kroll orac. Chald. p. 40)

*πολλαὶ μὲν δὴ αἵδε ἐπεμβαίνουσι γυναῖκες*

corruptus est. Altero loco (Damasc. II, 59, 23) in eodem versu legitur *πᾶσαι*. Krollius coniecit *πτᾶσαι*, fortasse recte.

Atque Archestrati versus ille iam pridem correctus est; in theriaca δέ particulam hiatus tollendi causa Schneiderus addidit, quamquam eadem verba a Galeno altero loco (t. XIV p. 52 K.) sine illa, si qua Kuehnianae editioni fides est, afferuntur. Contra in Apollinari Scheindleri quidem commentum ἐκ κεφαλῆς δέ οἱ scribi iubentis futile esse vel verbis illis e versione virorum LXX supra allatis ostenditur. Sed ne transponere quidem verba, ut habeamus ἄλγος οἱ, licebit, cum brevem syllabam ante οἱ voculam uno loco (60, 13 in primo pede) in carminibus Apollinarianis produci a Rzachio[69]) doceamur.

Iam restat, ut ea afferam vocabula, quae, cum apud Homerum, ut littera ϝ instructa, legitimum hiatum efficiant, apud posteriores quoque praecedentem vocalem producunt. Rara haec sunt, si mittis οἱ voculam, quae saepius talem hiatum accipit, et fere eorum tantum vocabulorum vocalem finalem producunt, quibuscum apud Homerum aut Hesiodum saepius coniunguntur. Cuius generis sunt apud Archestratum 37, 7 φυὴν καὶ εἶδος ὁμοίη ex Homero (cf. ζ 16, praeterea *X* 370 *Ω* 376 ε 213 ξ 177); apud Callimachum εὖ εἰδότες h. 1, 78, εὖ οἶδε epgr. 14, 1 — quae vocabula tam arte coniungi solent, ut unius verbi instar sint — apud Apollonium καὶ ἔργα IV 213 in quarto pede (idem in eadem sede ζ 259), III 329 καὶ εἵματα in quarto pede (idem ζ 144 in eadem sede); apud Rhianum p. 196 καὶ εἴκοσι in quarto pede, quod in eodem pede legitur *B* 510 et saepius. Et hoc quidem etiam restituendum esse videtur apud Oppianum, qui in quarto Cynegeticorum libro de Gange hoc dicit (v. 168):

ὅστε καὶ εὐρύτατός περ ἐὼν καί τ' εἴκοσιν ἄλλοις
κυρτοῦται ποταμοῖσι κορυσσόμενος λάβρον ὕδωρ.

Ego quidem non video, quo modo τέ particula hic tolerari possit. Delenda igitur est hiatusque sollemnis agnoscendus.

Praeterea habemus apud Dionysium v. 705 καὶ ἤθεα γαίης (cf. Hes. op. 222 καὶ ἤθεα λαῶν) v. 753 καὶ ἴφια μῆλα (idem λ 108 et saepius), apud Quintum εὖ εἰδότες IV 488, καὶ εἴδεος IV 130 in tertio pede, ubi Koechly et Zimmermann τέ addere non debuerunt, in Lithicis v. 42 καὶ οἶκον in secundo pede (idem in eadem sede ψ 7. 27. 108), apud Dorotheum v. 273 καὶ ἐλπίδες in pede

[69]) Neue Beitraege zur Technik des nachhomerischen Hexameters p. 67.

tertio (cf. καὶ ἐλπίδος in quarto pede π 101 τ 84), nisi hoc propriae illi producendi facultati, quam in tertio pede esse vidimus, rectius tribuitur, in Orphei denique Argonauticis εὖ εἰδότες v. 825, καὶ ἔργ' ἀνθρώπων v. 112 (idem ζ 259), πόλιν καὶ ἤθεα λαῶν v. 1143 et 1213 ex Hesiodo, v. 1182 ἔγνω ᾗσιν ἐνὶ φρεσίν (idem Α 333 et saepius); v. 1326 (δόμον τε καὶ ἤθεα) Wielius τέ particulam iure eiecit. Pauca relinquuntur tali exemplo carentia[70]): Oppian. Cyneg. III 377 ἀνάγκῃ ἶφι δαμάσσας, Maxim. v. 355 λείποι οἶκον in primo pede, Quint. IV 96 καί ἑ σχεδόν, Apollinar. 64, 19 καὶ ἑσπερίην in tertio pede, ubi dubitabis, utrum propter Homerica illa ποτὶ ἕσπερα (ρ 191) et ἐπὶ ἕσπερον (α 442, alibi) aut propter ἤ particulam in tertia thesi ante ἑσπερίων productam (ϑ 29) hiatus admissus sit, an quod potius credam, licentia illa tertii pedis poeta usus sit, de qua supra plura diximus.

---

[70]) Apud Empedoclem 100, 25 (πάλιν ἐκπνεῖ ἶσον ὀπίσσω) scribitur ἐκπνέει, quod fortasse non necesse est.

## Pars altera.

# Miscellanea critica.

Eratosthenis frgm. XVII:

*ὀκτὼ δὴ τάδε πάντα σὺν ἁρμονίῃσιν ἀρήρει,*
*ὀκτὼ δ' ἐν σφαίρῃσι κυλίνδετο κύκλῳ ἰόντα*
*ἐνάτην περὶ γαῖαν.*

Lacunam, quam numeri indicant, Bergkius ita explevit, ut *ταῦτ(α)* ante *ἐνάτην* adderet, quod propter *τάδε* illud, quod praecedit, ferri non potest. Hillerus in editione Theonis Smyrnaei (p. 106) verba illa *ἐνάτην περὶ γαῖαν* in fine versus collocavit plura antea intercidisse arbitratus. Quod quam recte fecerit, dubito, quoniam Eratosthenes, quantum quidem videmus, tam elegantem praestitit versuum pangendorum artem, ut caesurae in quinta arsi admissae numquam praeponeret caesuram in tertia arsi aut quarta[1]). Nam qui versus apud Hillerum est vicesimus septimus:

*αἰεὶ φρικαλέαι, αἰεὶ δ' ὕδατι μογέουσαι*

is anaphora excusatur. Atqui in versu illo mutilo aut in quarto pede aut in quarto et tertio caesura mascula necessario ponenda esset, si Hillerus verba illa in fine versus recte collocavisset. Quaerendum igitur unum illud vocabulum est, quod in exordio versus desideratur. Quo loco quid aptius ponetur quam articulus (*τήν*), quem ad *ἐνάτην* addi, cum praecessisset *ὀκτώ*, paene necessarium erat? Et apte, puto, conferri possunt, etsi nec numerorum nec verborum ratio eadem est, versus quidam Callimachi (hymn. III 105. 107):

---

[1]) De his caesurarum legibus exposuit Guilelmus Meyer in actis academiae Monacensis a. 1884 (Zur Geschichte des griechischen und lateinischen Hexameters).

*πέντ' ἔσαν αἱ πᾶσαι· πίσυρας δ' ἕλες ὦκα θέουσα . . . .*
*τὴν δὲ μίαν* et quae sequuntur.

Nicand. Ther. v. 618:

*πάντα δὲ λίγδῳ θρύπτε, καὶ ἐν σκαφίδεσσι δοχαίαις*
*φαρμάσσων μέθυ κεῖνο χοὸς δεκάτῃ ἐνὶ μοίρῃ.*

Nemo adhuc, quod quidem videam, in his verbis haesisse videtur; quae eam interpretandi difficultatem habere mihi videntur, ut pro sanis ea habere non possim. Nam quae traduntur, non poteris nisi hoc interpretari modo: Omnia in pila contunde, etiam in vasculis ad recipiendum aptis medicamenta admiscens vino illi in decima choi parte. At ecquis eodem tempore medicamenta illa in pila contundere et in alio vasculo vino admiscere poterit? Hoc autem illa praesentis temporis forma *φαρμάσσων* declaratur. Nec minus offendimur illo *κεῖνο*, cum neque quod vini genus significetur, appareat neque ea in hac vocula hic esse possit notio cum aliis tum Nicandro satis usitata[2]), qua notum quiddam atque illustre significatur. Neque igitur facere possum, quin aliquid in his verbis corruptum esse credam. Et facillima praesto est emendatio. *Πῖνε* enim pro *κεῖνο* scribendum est; quo recepto habebis verbum, quod per *καί* particulam apte cum *θρύπτε* coniungas. Dubitaverit forsitan quispiam de *φαρμάσσων*, praesentis temporis participio; expectaverit aoristum. Atqui eandem loquendi rationem habes in Theriacis v. 652 sq.:

*καὶ τὰ μὲν ὀργάζοιο καὶ εἰν ἑνὶ τεύχεϊ μίξας*
*ἄλλοτε μέν τ' ἐχίων ὀλοὸν σίνος, ἄλλοτε τύμμα*
*σκορπιόεν, τοτὲ δάχματ' ἐπαλθήσαιο φάλαγγος,*
*τριπλόον ἐνθρύπτων ὀδελοῦ βάρος ἔνδοθεν οἴνης.*

Ad quae scholiasta haec adnotavit: *τὰς εἰρημένας ῥίζας πάσας . . . . . . λαβὼν τρῖψον καὶ ἐν ἀγγείῳ μίξας ἔχε εἰς βοήθειαν ὄφεων δήγματος ἢ εἰς τύμμα σκορπίου ἢ ῥωγὸς πληγμόν· ἀλλ' ὁπότε ἐξ αὐτοῦ διδόναι ἐθέλοις τινί, ὀδελοῦ βάρος τριπλοῦν*[3]) *σταθμήσας βάλλε εἰς οἶνον καὶ οὕτω δίδοθι.* Vides, qua ratione praesentis temporis formam explicuerit: iteratam terendi actionem declarari putavit. Et recte id quidem, opinor. Eodem autem modo illo in versu difficul-

---

[2]) Cf. Alexiph. 105. 116. 235. 250. 299. 525, quos locos imitati sunt Andromachus (v. 127) et Marcellus Sideta (v. 76. 94).

[3]) Hoc ex Aldina recepi. Codices exhibent *καὶ μόνον.*

tatem expediemus; licebit enim hunc in modum interpretari: Haec omnia in pila contunde et, cum opus erit, vinum in vasculis aptis his medicamentis consperge et bibe in decima parte choi.

Nicand. Alexiph. 128 sq.:
*τῷ δὲ σὺ πολλάκι μὲν γληχὼ ποταμηΐσι νύμφαις*
*ἐμπλήδην κυκεῶνα πόροις ἐν κύμβεϊ τεύξας.*

Ad haec verba scholiasta adnotavit haec: *τούτῳ δέ φησι τῷ φαρμασσομένῳ σὺ τὸν γλήχωνα ταῖς ποταμίαις νύμφαις τεύξαις κυκεῶνα, τουτέστι γλήχωνα μετὰ ὕδατος*[4]). Ita igitur interpretatus esse videtur, ut *τεύχειν* idem valere putaret quod Latine verbum efficiendi vel Graece *ποιεῖν*, itaque e polio aquis infusis mixturam fieri Nicandrum iubere opinaretur. At haec verbi *τεύχειν* notio a Nicandro quidem aliena esse videtur. Atqui aliam interpretandi viam vix indagabis. Neque enim fieri potest, ut *γληχώ* cum *πόροις*, *κυκεῶνα* cum *τεύξας* coniungatur, cum postquam mixtura composita est, non iam polium detur, sed mixtura. Neque igitur facere poterimus, quin mendum verba contraxisse credamus. Et parata est medela; nam ut pro *τεύξας* reposueris *τήξας*, omnia perspicua erunt. Quo verbo Nicander saepius utitur eoque non modo de molliore materia vino aut aqua diluenda, sed etiam de termitibus et foliis, id quod hi versus docent:
Alex. 92 *καί τε σύγ' ἢ μαλάχης ῥαδάμους ἢ φυλλάδα τήξας.*
Alex. 487 *ἠὲ χύτρῳ τήξας μαλάχης λιπόωντας ὀράμνους.*

Andromachi eleg. v. 111 sq.:
*καί ῥ' ὅτε θαλπομένη ῥῆξαι σέλας ἔκτοθι πυρσοῖ*
*κάτθεο, καὶ τρισσὴν σαρκὸς ἔχεις μερίδα,*
*ὅλμοις, καὶ στρυφνοῖο βάλοις δυοῖν ὀρόβοιο,*
*ἐν δ' ὑπέρῳ μίξας συνδονέων μυχόθεν*
*αἴνυσο . . . . . .*

Haec quae in Galeni editione leguntur, ita Schneiderus correxit, ut v. 111 *θαλπομένην ῥήξῃ*, v. 113, quo loco Bussemakerus *δύω*, fortasse e codice Parisino, posuit, *δοιώ* scriberet. Et haec recte ille quidem; minus placet, quod v. 112 ille posuit *ἕλοις*,

[4]) Sic enim distinguendum est. Erravit Bianchi, qui edidit *τεύξαις κυκεῶνα τουτέστι γλήχωνα, μετὰ ὕδατος.* (Studi Ital. di filol. XII p. 340.)

pro quo Galeni editio exhibet *ἔχεις*, Bussemakerus *ἔχοις*. Dubito enim, quam recte cum dativo *ὅλμοις* hoc verbum coniungatur. Atque *ἔχεις* non solum mendum contraxisse, sed etiam *ὅλμοις* pro corrupto habendum esse pluralis numerus docet, quoniam una hic pila, non pluribus opus est (cf. v. 114 *ὑπέρῳ*). Proinde scribamus

*κάτθεο, καὶ τρισσὴν σαρκὸς ἔχοι μερίδα*
*ὅλμος κτλ.*

Andromachi eleg. v. 155:

*δάκρυον εὖ μίσγοιο βαλὼν κυανωπὸν ἀκάνθης.*

Hic versus, qui a Galeno iterum affertur t. XIV p. 81 K., a Schneidero, qui asyndeto offendebatur, sic scriptus editus est:

*δάκρυα δ' εὖ μίσγοιο βαλὼν κυανωποῦ ἀκάνθης.*

Non recte id quidem, cum Andromachus in quinti pedis trochaeo numquam aut vocalem aut diphthongum corripiat. Asyndeton autem prorsus simile habes in carmine Aglaiae vel Aglaidae elegiaco, quo oculorum suffusionis medicamentum a se inventum venditat. In quo carmine bilem galli ad mixturam illam componendam assumi hoc versu iubet (v. 15):

*ἡμίσταθμον ὁ τοῦ πατρὸς ψευδώνυμος ἔστω*[5]).

Neque igitur ne in Andromachi quidem versu illo quicquam mutandum esse videtur.

Aglaiae eleg. v. 9 (Bussemaker p. 97):

*ἄνθους μὲν χαλκοῦ πεντώβολον, ἰσοβαρὲς δὲ*
*τοῦ συοδηλήτου τὴν ἀρετὴν γενέτιν*[6]).

Sichel[7]) haec verba ita interpretanda esse censebat, ut sub verbo *ἀρετή* vis sanandi intellegeretur, accusativus autem ad *ἰσοβαρες* referretur. Quod cum fieri non posse cognovisset, Duebnerus[8]) *τῷδ' ἄγε τὴν γενέτιν* proposuit, quo verbum, quod necessarium esse putaret, restitueretur. At sumendi verbum facile hic subauditur. Quid plura? Facillime enim locus sanabitur, si pro *ἀρετήν* scribemus *ἐρατήν*.

---

[5]) Sic enim haec distinguenda sunt.

[6]) Sic pro *γενέτην* Bussemaker.

[7]) Revue de philologie II p. 21.

[8]) Revue de philologie II p. 28.

Aglaiae eleg. v. 13:

*καὶ δύο διδράχμων, τὸ μὲν ἐκ ξανθότριχος ἄνθους,*
*ἔνυμα δ' ἐκ μηδέων θάτερον ἱπποδάμου.*

Hos versus Duebnerus[8]) hunc in modum corrigendos esse censuit:

*καὶ δύο διδράχμω, τὸ μὲν ἐκ ξανθότριχος ανθους,*
*νῶμα δ' ἐκ μηδέων θάτερον ἱπποδάμου.*

Atque id quidem recte fecisse videtur, quod *ν* illud a librariis duali numero, quem ignorabant, additum sustulit; *νῶμα* autem nimis violenter scriptum est. Mihi *αἴνυμα*, quod scribendi tantum ratione a litteris, quae in codice leguntur, differt, poeta suo iure a verbo *αἴνυσθαι* derivavisse videtur; sicut idem v. 12 haud scio an *ἄλδεται* scripserit, verbum nove pro vulgari *ἀλδαίνεσθαι* fictum. Verborum autem ratio haec est: *καὶ δύο διδράχμω* ⟨*ὄντων*⟩ (cf. v. 15), *τὸ μὲν* ⟨*ἔστω*⟩ *ἐκ ξανθότριχος ἄνθους, τὸ δὲ ἕτερον* ⟨*ἔστω*⟩ *αἴνυμα ἐκ μηδῶν ἱπποδάμου.*

Aglaiae eleg. v. 23 sq.:

*καὶ Ζακορίσου Μούσαις ἰσάριθμον ὄπισμα*
*δραχμόθεν ἔστω σοὶ συγκατακιρναμένου*
*τετραμόρου κοτύλης, ὃ τιτύσκεται οὐ διὰ χειρῶν*
*ἐν δαπέδοις Ἀκτῆς*[9]), *ἀλλὰ διὰ στομάτων.*

Pro *Ζακορίσου*, cum scholium exhibeat: *ὄπισμα· ὀποβάλσαμον. Πολύδωρος γὰρ Ζακορύτιον λέγει*, *Ζακορυτεῖον* scribendum esse videtur, quamquam qui locus significetur, incertum est. Pro *συγκατακιρναμένου* Sichel *συγκατακιρνάμενον* scripsit, quod ad *ὄπισμα* referri volebat; Bussemaker autem etiam *τετραμόρῳ* posuit, cum genetivum a verbo illo pendere non posse intellexisset. Quas turbas omnes movit vocabulum *δραχμόθεν*, quod Sichel ita ad *συγκατακιρνάμενον* referendum esse censebat, ut uncias illas novem non una, sed singillatim melli admiscendas esse diceretur. Quod falsum esse apparet. *Δραχμόθεν* enim illud ad *ἰσάριθμον* ita pertinere manifestum est, ut sucus ille a drachma, hoc est drachmis, Musarum numero aequandus esse dicatur; verba autem illa

*συγκατακιρναμένου τετραμόρου κοτύλης*

pro genetivo quem absolutum dicunt habenda sunt. Mellis igitur

---

[9]) *Βάκτης* cod., corr. Sichel.

quarta cotylae pars admiscenda est, et erravit scholiasta, qui *μέλιτος Ἀττικοῦ κοτύλην* sumi in paraphrasi contendit.

Carminis Pseudophocylidei versum primum sic scriptum edidit Crusius:

*ταῦτα δίκης ὁσίῃσι θεοῦ βουλεύματα φαίνει*
*Φωκυλίδης.*

Recepit igitur quod pro *δίκης* Bergkius posuerat Bernaysiusque probaverat, *δίκῃς*. Attamen neque quid dativus velit neque quo iure pluralis numerus ponatur, apparet. In codicibus Mutinensi, Barocciano, Parisino legitur *δίκης ὁσίοισι*[10]). Quae lectio ab editoribus spreta mihi unice vera esse videtur. Optimam enim haec praebet sententiam, dummodo duos genetivos, subiectivum et obiectivum, cum eodem nomine coniunctos esse agnoscas; quod quam vulgatum sit, non opus est exemplis demonstrare. *Δίκης θεοῦ βουλεύματα* sunt *θεοῦ περὶ δίκης βουλεύματα*, consilia dei ad iustitiam pertinentia. Atque quis est, quin videat hoc optime consentire verbis illis, quae in fine carminis extant

*ταῦτα δικαιοσύνης μυστήρια?*

ad quae Bernaysius ficta esse illa, quae in exordio legimus, existimabat, quamquam et haec et illa eiusdem auctoris esse rectius fortasse censebis[11]).

Carminis Pseudophocylidei v. 80:

*νικᾶν εὖ ἔρδοντας ἔτι πλεόνεσσι καθήκει.*

Sic hic versus editur a Crusio, recepta Bergkii coniectura, qui *ἔτι* scripsit pro *ἐπί*, quod Bernaysius servaverat. At Bergkius hac coniectura effecit, ut id genus loquendi existeret, cui pleonasmo nomen grammatici dederunt; vincere enim possumus aliquem beneficiis, non pluribus beneficiis. Quae molestia *ἔτι* vocula etiam augetur. Neque vero ulla mutatione opus est, dum causam vincendi praepositione *ἐπί* declarari cognoscamus. Graecis verbis sententiam explicabo, ut quid auctor voluerit,

---

[10]) Rossbroich, De Pseudophocylideis p. 28.

[11]) Obiter commemoro in huius carminis versu 41

*χώρη δ᾽ οὔτι βέβαιον ἔχει πέδον ἀνθρώποισιν*

mea quidem sententia multo elegantiorem futuram esse orationem, si scriberetur *χώρης*, quod in tribus codicibus legitur spretum ab omnibus, qui hoc carmen ediderunt.

appareat. *Πλείονα τῶν ληφθέντων δίδωσιν ὁ τὸ καθῆκον ποιῶν, ὥστε νικᾶν τὸν εὖ ἔρδοντα· νικᾷ ἄρα ἐπὶ τῷ πλείονα διδόναι* vel, ut brevius dixit poeta, *ἐπὶ πλεόνεσσι.*

Oppiani Hal. I 324 sq.:

*εὖτε γὰρ ἀθρήσωσι λελειμμένον ὀρφανὸν αὔτως*
*ὄστρακον, οἰκητῆρος ἀνέστιον οἰχομένοιο,*
*αἳ δ' εἴσω καταδῦσαι ὑπ' ἀλλοτρίοισιν ἐλύτροις*
*ἑζόμεναι ναίουσι καὶ ὃν κτήσαντο μέλαθρον,*
*τῷ δὲ συνερπύζουσι καὶ ἔνδοθεν ἕρκος ἄγουσιν.*

Lehrsius v. 327 Rittershusium et Koechleium secutus *ὅ* pro *ὅν* scripsit, quod necessarium esse Koechly dixerat Opusc. t. I p. 309. Minime illud necessarium. Nam quidni in hunc modum interpretemur: 'et ut suam possidunt domum', concham scilicet? Aoristus praesens tempus apud Oppianum saepissime sequitur, ut post paucos versus 337. Ceterum illud *ὅ* ne numerorum quidem puritati illi, qua Oppianus utitur, satis conveniebat; qui cum in brevibus vocalibus finalibus ante duas consonas producendis eadem qua Nonnus[12]) elegantia uteretur, *ὅ* et *ἅ* relativa numquam in arsi posuit. Quod ne ceteri quidem saepius admiserunt; quinque enim ego quidem inveni exempla: Nicand. frgm. 74, 27 *ἃ κρίνα*, Maneth. III 94 *ἃ σφισιν*, Apollon. Arg. II 756 *ὃ πρὶν ἄκουον*, Apollinaris denique 77,30 *ἃ πρίν* et 87, 7 *ὃ πρίν.*

Carmen de vir. herb. v. 45:

*ὀφθαλμῶν δέ τε πᾶσαν ἄμ' ἐξώσειας ἀνίην.*

Sic Hauptius Schneideri coniectura recepta edidit. In codice Vindobonensi, in quo *ἄμ(α)* non legitur, alterum hemistichium teste Meklero[13]) sic scribitur:

*εξητοισιασανειην.*

Quod facillime corrigitur; nam scribendum est

*ἐρητύσειας ἀνίην.*

Ammonis v. 9 sq.:

*πλώειν δ' εἰς ξείνην καὶ ὁδεύειν ἣν ἐθέλησθα,*
*ἐν τροπικοῖς κέλομαι· νόστος δέ τοι ἔσσεται ὠκύς,*
*καὶ εἰς οἶκον ἴθι τῆμος ξείνης ἀπὸ γαίης.*

12) De Nonno cf. quae Král in stud. Vindob. t. XXIX p. 50 sq. exposuit.
13) Wiener Studien XXXII p. 86.

Vix potest dubium esse, quin ex his versibus extremus pro corrupto habendus sit, cum neque *καί* particula ante *εἰς* prima in arsi gravi cum hiatu posita ferri possit neque breve illud *ι*, quo verbum *ἴθι* clauditur, locum habeat ante *τ* consonam in arsi. Et corruptus versus ille iam Nauckio visus erat, qui tamen erravit, cum pro *καί ἦν* et pro *ἴθι ἴῃς* scribi iuberet. Nam quis est, quin poetam, si *ἦν εἰς οἶκον ἴῃς* scripsisset, non voce *νόσιου,* sed *πορείας* vel simili uti debuisse videat? Immo id quidem manifestum est, verba illa

*νόστος δέ τοι ἔσσεται ὠκύς*

ita cum prioribus coniungenda esse, ut post *κέλομαι* levius, post *ὠκύς* graviter distinguatur. Versus autem extremus hunc in modum emendandus videtur esse:

*καὶ οἶκόνδ' ἰέναι τῆμος ξείνης ἀπὸ γαίης.*

*Καί* ante *οἶκον* positum habes apud Homerum in prima arsi *O* 498, in secunda *ζ* 181.

Ceterum Tzetzen ea qua solebat incuria hos Ammonis versus quos habemus exscripsisse cum aliis locis tum versu septimo demonstratur, quo loco hoc legimus:

*καὶ χρησμοὶ καὶ ὄνειροι ψεύδοντ' ἐν τροπικοῖσι.*

Ludwichius nihil mutavit; mihi quin horribiles numeri Tzetzae neglegentiae debeantur, non dubium est. Genuinus versus talis fuisse videtur:

*καὶ χρησμοὶ ψεύδονται ἐνὶ τροπικοῖς καὶ ὄνειροι.*

Antiochus (catal. cod. astrol. I) p. 109 v. 4 sq.:

*Ἠέλιος δ' ἀκτῖνι θοῇ περιφεγγέι διήκων*
*ὥρης ἐμβεβαὼς τάχος ἤματα καλὰ δίδωσι,*
*πολλοῖς φαινομένοισι τε ἐν ἀρσενικοῖσι μάλιστα*
*ὀφθεὶς ζωιδίοισιν, ἐσήμανε πλοῦτον ἔχοντας*
*καὶ χρόνον ἐν ζωοῖς ἵλεον πολύν· ἢν δὲ κακοῖσι*
*σύμμιξιν δόξας μείων πάλιν, πλὴν καλός ἐστι*
*καὶ πατρὶ καὶ βιότῳ*[14]*) καὶ ἀτάσθαλα πήματα λύει.*

Sic hi versus eduntur. Atque in versu primo scribendum esse videtur *πυριφεγγέι λεύσσων*; cf. Orph. Argon. 214 *πυριφεγγέος Ἠελίοιο.* Verbum *λεύσσειν* in eadem re dictum habes infra v. 11

---

14) *βροτῷ* cod., corr. Kroll.

ἢν δὲ Κρόνος λεύσσῃ et cum eiusdem generis dativo coniunctum in libris Manethonianis his locis:

III 281 λυγρὰ δ' ἄρ' ἧσσον' ἔδωκε τριγώνοις φέγγεσι λεύσσων.
VI 71 Μήνην δ' ἀκτῖσιν Φαίνων κατεναντία λεύσσῃ.
VI 518 ὡρονόμον δ' ἀκτῖσιν ἑαῖς λεύσσουσα Κυθήρη.

In versu tertio traditur φαινομένοισι τέκεν ἀρσενικοῖσι. Id quod editor posuerit, falsum esse vel inde apparet, quod sol eodem tempore in uno tantum signo videri potest, non in pluribus. Ἐν igitur ab huius versus sententia alienum est; contra et aptius et facilius multo καί pro κέν reponemus, ut hanc habeamus sententiam 'et ab apparentibus multis iisque masculinis potissimum signis visus'. Iam si pro φαινομένοισι breviorem formam restituerimus, hunc habebimus versum:

πολλοῖς φαινομένοις τε καὶ ἀρσενικοῖσι μάλιστα.

In versu sequente Cumontius ἐσήμανε e coniectura scripsit; in codice esse dicit ἐν posteaque compendium, quod difficulter explicetur. Ego quod melius ponam, non habeo, quamquam illud propter vocalem insolenter correptam probari non potest.

In versu quarto pro ζωοῖς ἵλεον, quod Cumontius mala coniectura posuit, in codice est ζωοῖσι τέλος. Krollius proposuit τελεῖν, quod non satis concinne participio illi πλοῦτον ἔχοντας καί particula adiungitur. Mihi Antiochus scripsisse videtur:

καὶ χρόνον ἐν ζωοῖς τελέως πολύν.

Praedicat igitur plenum atque integrum vitae tempus fore sub Sole natis vel, ut Graecis verbis utar, τέλος ἕξειν τὸν βίον ἐκείνοις, ὥστε μὴ ἀώρους τελευτῆσαι.

In quinto denique versu, quem corruptelis liberare non ausus editor Krollii coniecturam τεύξας μειῶν scribi iubentis afferre satis habuit, scribendum esse videtur, ut recto pede sententia stet:

ἢν δὲ κακοῖσι
συμμίξῃ, δόξας μειοῖ πάλι.

De plurali δόξας cf. Antiochi versum p. 112 v. 26 et Manethonis I 219 et V 296.

Antiochus p. 109 v. 23:

γήραϊ δ' ἔκπτωσιν [νυκτὸς] † δοίη νύκτιος ἀστήρ.

Sic editur. In codice est *δώη' νυκτός*. Scribendum esse videtur

*γήραϊ δ' ἔκπτωσιν δοίη ἐπινύκιος ἀστήρ.*

Antiochus p. 111 v. 11:

*Ζεὺς δὲ μεγασθενέας κλήρους δωρήσατο πλείστους.*
In codice est *μεγάσθενετ'*. Scribendum *μεγασθενέτης*.

Antiochus p. 111 v. 24 sq.:

*ἢν δ' ἄλλως ὀλοοί τε προσαυγάζωσι μολόντες*[15]),
*ἔστι χερειότερον, τοκέων γὰρ ἄγει βαρύτητας.*

*Τέ* particulam locum hic non habere quivis videt. Pro qua reponendum est *κέ*, quae particula cum *ἤν* coniuncta ab huius aetatis scriptoribus aliena non est; cf. Maneth. I 180, quo loco pro *κέν* Axtius et Riglerus male *μέν* posuerunt, quod Koechly recipere non debebat. Itaque etiam in Lithicis quam recte Hermannus v. 415 *εἰ* pro *ἤν* scripserit, dubito.

Dorotheus v. 56:

*ὑπὸ δ' αὐτῷ*[16]) *ἔπλετο πᾶσα*
*Καρχηδών, Τυρίης Διδοῦς χερὶ δωμηθεῖσα,*
*Ἄμμωνος Λιβύη τ' ἐπ' ὄμμασι Σικελίη χθών*[17]).

Sic corruptum versum extremum Krollius edidit, spreta ac ne commemorata quidem Koechlei coniectura, qui cum unius codicis lectionem (*ὑπ' ὄμμασι*) cognitam habuisset, *σύν τ' οἴδματι* scripsit. Ac sane et alterum ordinis membrum particula coniunctiva carere molestum est neque cum meliore illa alterius codicis lectione *σύν τ'(ε)* satis convenit. Sed quo offendimur, tolletur, quod apte atque ingeniose ab illo coniectum est, servabitur, si scribemus

*Ἄμμωνος Λιβύη τ' ἐν τ' οἴδμασι Σικελίη χθών.*

Pluralis numeri a nomine *οἶδμα* derivati exempla ex oraculis Sibyllinis petita Stephani thesaurus dabit.

---

15) *προσαυγάζουσι* cod., corr. Cumont.
16) Sic Koechly pro *αὐτόν*.
17) In codice A legitur *ὑπ' ὄμμασι*.

Dorotheus v. 132 sq.:

Luna crescens proderit tibi domum aedificanti

*ἢ Διὸς ἢ Παφίης ἐν σχήμασι μαρτυρεόντων*
*ἢ καὶ συνεσσομένων Φαίνων γέμεναι ἐνερύκει*
*δερκόμενος, μαλερὴν δὲ περὶ φλόγα Θοῦρος ὀρίνει.*

Quae Krollius tentavit graves hic corruptelas latere opinatus, non excribam. Nam alterum quidem hemistichium versus illius, quem medium posui, sanum atque integrum est, dummodo recte litteras distinguamus; habemus enim *Φαίνων γε μὲν αἰὲν ἐρύκει*. Itaque unum illud *συνεσσομένων* pro corrupto habendum est; pro quo apte reponemus *ἐπεσσυμένων*, collato versu 143

*Ζηνὸς ἐπεσσυμένου ἢ καὶ παρεόντος ἅμ' αὐτῇ.*

Dorotheus v. 185 sq.

Quae in codicibus leguntur et a Krollio edita sunt, tot corruptelis laborant, ut intellegere vix possis. Versus igitur ita subscribam, ut emendata corruptis substituam quaeque novaverim, infra adnotem.

*Εἰ δὲ ἴδῃς καὶ τὰς γενέσεις τούτων οἷς συντυχεῖν θέλεις*
*καὶ δ' ὅταν ἐξ ὥρης κυκλούμενον ἔν τινι ζῴῳ*
*κείμενον εἰς ἐνιαυτόν, ἔχει δ' ἐν τῷδε Σελήνην,*
*ᾧτινι συμβαλέεις, μάλα κεν πεφιλήσεαι αὐτῷ,*
*ἢν ἔτος ἀμφοτέροισιν ὁμοῦ πέσῃ εἰς ἕνα χῶρον*
*σύμφωνον, τὸ δ' ὅμοιον ἐπὶ ζῴων αἰόντων*
*ἢ ἢ δερκομένων, ἀριθμὸς δέ κεν ἐν Κρόνου αὖτε*
*ζῳιδίῳ Παφίης τ' ἐκλειπτικός, οὗ παροδείῃ.*
*εὖτε δέ περ μέλλῃς φιλίας ξυνδήμεναι ἀρχήν,*
*πρῶτα μὲν ἀλλήλοις εὐσύνδετα φῶτά τοι ἔστω*
*καὶ δ' ἀγαθοὶ τούτοις ἐπιμάρτυρες, οἱ δ' ὀλοεργοὶ*
*εἶεν ἀποστρόφιοι· μᾶλλόν γε μέν ἐσι κακίων*
*Ἄρης, Ἥλιος ὅτ' ἐναντίος ἢ τετράγωνος*
*εἴη, ἀτὰρ Φαίνων, ὁπόταν λευκάντυγα Μήνην*
. . . . . . . . . . . . . . . . . .
*καὶ δ' ἄλλῳ συνίῃσιν, ἄμεινον ἐπεί κε πέλοιεν*
*ἀστέρες ὀρφναῖοι θέσιας λελαχόντες ἀγανὰς*
*χώραις αἷσι γάνυνται.*

A codicum lectionibus discrepant haec:

185 *κυκλούμενον* scripsi, *κεκλωμένον* codd., *ζῴῳ* Kroll, *ζῴοις* codd. 189 *αἰόντων* scripsi, *ἀκουόντων* codd. 190 *ᾗ* scripsi, *ἦν* codd., *αὖτε* scripsi, *εὖτε* codd. 191 *οὔ* scripsi, *οὐ* codd. 195 *ἀποστρόφιοι* Kroll, *ἀπόστροφοι* codd. 196 *ὅτ'* scripsi, *τ'* codd. Post 197 lacunam indicavi. 198 *συνίησιν* scripsi, *συνίησι* codd.

Iam rationem reddamus correctionum. Atque in v. 185 verbum, quod ad *ὅταν* pertineat, desideratur. Quod tamen in corrupto illo *κεκλωμένον* latere vix crediderim, sed magis veri simile esse videtur verbum illud ex praecedente sententia, quam non habemus, repetendum esse, in *κεκλωμένον* autem latere participium aliquod. Quod si recte statuimus, haud inepte scripsisse videmur *κυκλούμενον*, quo recepto haec existit sententia: ⟨*ὅταν σκέψῃ τὸν ἀστέρα τῷ τρόπῳ ᾧ κελεύω*⟩ *καὶ δ' ὅταν κείμενον* ⟨*αὐτὸν*⟩ *ἔν τινι ζῴῳ* ⟨*σκέψῃ*⟩ *κυκλούμενον εἰς ἐνιαυτόν*. Tum v. 188, cum asyndeton ferri non posset, *ἦν* cum priore sententia coniungendum erat, ut declararetur, qua condicione constellatio illa, quae spectata erat, bonum denuntiaret eventum. Neque recte factum est, quod Krollius *σύμφωνον* illud apodosin condicionalis quae praecederet sententiae esse voluit, quoniam mera tum existit tautologia. *Σύμφωνον* igitur cum *πέσῃ* praedicative ut dicunt coniungendum erat. Molestissimum vero est et ab omni cogitandi dicendique ratione alienum imperfectum tempus, quod v. 190 legimus; quod cum neque in principali neque in secundiaria sententia tolerari possit, non dubito, quin pro *ἦν* recte scripserim *ᾗ*. Ea autem quae sequuntur verba haud ita facilia sunt ad interpretandum. Quae ut intellegi possent, pro *οὐ*, quam negationem coniunctivus non accipit, scribendum erat *οὔ*. Quocum coniungenda sunt verba *ἀριθμὸς ἐκλειπτικός*, ut sententia haec sit: *ὁ ἐν τῇ ἐκλειπτικῇ κατὰ μῆκος ἀριθμός, οὗ παροδεύει ἡ Σελήνη τὸν Ἥλιον ἐκλείψεως γιγνομένης*. Hunc igitur numerum vel gradum Dorotheus vult in aquario esse et tauro. Atque haec quidem utcunque perspicua; sed quomodo *εὖτε* tolerari possit, non video, sive accipis *ᾗ* illud quod posuimus sive reicis. Scripsi igitur una mutata littera *αὖτε*.

Versus igitur septem priores ita quidem restituisse videmur, ut intellegi possint. Sed restat numerorum quoddam vitium; legimus enim v. 189 *ζῴων ἀκουόντων*, correpta $\bar{ου}$ vocali, quam

correptionem ego quidem ne Dorotheum quidem admisisse credo. Scribendum igitur esse videtur *ἀιόντων*.

Versus qui proximi sequuntur, sani sunt, si modo *ξυνδήμεναι* falsa analogia Dorotheum finxisse cum Krollio censes. Sed v. 196 rursus habemus corruptelam. Atque id quidem Krollius cognovit, coniunctionem, qua verbum *εἴη* regeretur, restituendam esse; sed, quod proposuit, *Ἠελίῳ εἰ ἐναντίος* et postea *λευκάντυγι Μήνῃ* nimis a traditarum litterarum ductibus recedit. Scripsi igitur una addita littera *ὅτ'(ε)* pro *τ'(ε)*.

Sed *λευκάντυγα Μήνην* quo pertineat, non habemus; neque e sequente versu verbum, a quo pendeat illud, coniectura elicere possumus. Lacuna igitur post v. 197 agnoscenda erat. V. 198 autem distinguendum erat post *συνίῃσιν* ita, ut *ἄμεινον*, ut adverbium, cum *πέλοιεν* coniungeretur.

Dorotheus v. 245:
*καὶ μήν, Παρθενικὴ σταχυηφόρος, οὔτι περώην*
*οἴσεις ἀνομένοις πλόον ἀνδράσιν.*
Scribendum est *παρ' ὥρην*. Cf. Anthol. Pal. VII 534
*ἄνθρωπε, ζωῆς περιφείδεο μηδὲ παρ' ὥρην*
*ναυτίλος ἴσθι.*

Dorotheus v. 283 sq.:
*ἡνίκα δ' ὡρονόμῳ κακομήτιες ἐγγεγάωσιν*
*ἀστέρες, εὑρίκεται δὲ θοῇ συνέωσι Σελήνῃ.*

Krollius adnotat: Latet *εὐεργεῖς* vel simile. Scribendum est *εὐρέκται*, quod Dorotheus finxit ut alii *κακορρέκτης* finxerunt[18]).

Manetho VI 176:
*ἢν δ' ὑπογείῳ Ἄρης ἢ καὶ δυτικῷ ἐνὶ κέντρῳ*
*δέρκηται βεβαώς.*

Sic Rigler et Koechly scripserunt pravam in secundo pede longae vocalis correptionem inferentes; quae quamquam non prorsus aliena ab his libris est, satis tamen raro invenitur, cum ω nusquam, bis η (III 127 *ἐσθλὴ ἔφυ*, VI 334 *ἢ ὄπισθεν*), semel ου (VI 602 *τετραγώνου ἐόντος*), bis οι (III 344 *τρίγωνοι ἐόντες*,

---

[18]) *Εὐρέκτης* nomen proprium civium Atheniensium in titulis quinti saeculi legi (Prosopogr. Att. 5944—5946) Wilamowitzius monet.

VI 648 *διάμετροι ὁρῶεν*), bis denique *καί* particula (VI 105. 544) corripiatur. Atqui in Gronovi editione haec leguntur:

*ἣν δ' Ἄρης ὑπογείῳ ἢ δυτικῷ ἐνὶ κέντρῳ.*

Lacuna, quam numeri indicant, aptissime explebitur, si *αὖ* particula addita scribemus:

*ἣν δ' Ἄρης ὑπογείῳ ἢ αὖ δυτικῷ ἐνὶ κέντρῳ.*

*Ἤ* cum *αὖ* coniunctum habes VI 89

*ἣν δ' Ἄρης περάτηθεν ἀνέρχηι', αὐτὰρ ἐπ' αὐτῷ*
*Φαίνων, ἢ ἑτέροισιν ὅδ' αὖ κέντροισιν ἔπηιαι*

et VI 433

*φάρεά θ' ὑφανόωντας ἢ αὖ ῥυπόεντα πλυνοῖσιν.*

*Ω* vocalis in tertia sede ante *ἤ* correpta, quod et ipsum corripitur, legitur II 232

*καὶ Κυθέρη Διὸς οἴκῳ ἢ εἰν ὁρίοισι φανεῖσα.*

Manetho V 1 sq.:

*Ἐξ ἀδύτων ἱερῶν βίβλων, βασιλεῦ Πτολεμαῖε,*
*καὶ κρυφίμων στηλῶν, ἃς ηὕρατο πάνσοφος Ἑρμῆς,*
*οὐρανίων ἄστρων τ' ἰδίαις ἐχάραξε προνοίαις,*
*σύμβουλον πινυτῆς σοφίης Ἀσκληπιὸν εὑρών,*
*ἀντιτύπῳ κηρῷ τ' ἀπομαξάμενος κεκόσμηται*
*ἀνθολόγου Μούσης βληδῶν δώρημα μελισσῶν·*
*ἣν δ' ἄρα νύκτα μέλαιναν ὑπ' οὐράνιον χορὸν ἄστρων*
*μυρίοισι μίτοισι λάλον τὸ μάθημα καθεῦρον.*

Haec in editione Gronoviana leguntur, satis ut apparet corrupta. Atque Koechly ordinem versuum mutavit, ut recte progrederetur oratio; quo mihi non videtur opus esse, dum corruptelas quasdam emendatione tollamus. Atque in versu altero Koechly recte scripsisse videtur *ἤρατο,* quoniam repertas a Mercurio columnas illas esse inepte dici videtur, erectas apte. Sed ut tertium versum mendis carere credam, nullo modo possum facere. Non quo *τέ* particula tertio loco posita offendar; tam enim arte verba *οὐρανίων ἄστρων* coniuncta sunt, ut libenter hoc toleremus. Sed quae sit providentia caelestium siderum columnis incisa, me non intellegere fateor. Nam sive astra providentem Mercurium facimus sive astris, utrumque ineptum est. Columnis vero quomodo providentiam illam insculpere potuerit, nescio. Contra optimam habebis sententiam, si scripseris

*οὐρανίων ἄστρων τ' ἰδέας ἐχάραξε προνοίαις.*

Neque enim quicquam magis vulgare est in sermone epico quam e relativa orationis forma in absolutam transitus. *Προνοίαις* vero illud nunc aptissime positum esse apparet, quoniam futuris hominum saeculis providentem Mercurium praeclaram illam sapientiam columnis mandasse dici nemo est quin intellegat[19]).

Alteram corruptelam in versu quarto deprehendimus. Nam si recte illic verba traderentur, Mercurius litteras illas columnis incidisse diceretur, cum consiliarium sapientiae Aesculapium nactus esset et cera 'obiecta' expressisset. Quis haec intellegit? Mitto *τέ* particulam participia diversi generis et ordinis inepte copulantem. Sed ne id quidem intellegitur, qui cerae usus Mercurio litteras lapidi incidenti fuerit. Atqui cum illi nullus esset, maximus fuit ei, qui accuratam litterarum effigiem exprimere studebat. Manifestum igitur est non ad Mercurium, sed ad ipsum poetam participium illud referendum esse. Unde et hoc sequitur, ut *τέ* deleatur, et hoc, ut pro *κεκόσμηται* non *κεκόμισται*, quod voluit Dorvillius, sed *κεκόμισμαι* scribatur. Attulit igitur poeta donum musae florilegae apium. Inter haec verba corruptum illud *βληδῶν* legimus, cui non *βλύζον* vel *βλίττων* substituendum est, sed epitheton apium, quas hoc ornatu carere haud facile patiemur, velut *βαιῶν*.

Versus denique extremos sic restituit Wilamowitzius:

*ἠδ' ἀνὰ νύκτα μέλαιναν ὑπ' οὐράνιον χορὸν ἄστρων*
*μοιραίοισι*[20]) *μίτοισι λαθὼν τὸ μάθημα καθεῦρον.*

Manetho V 181 sq.:

*ἢν δ' Ἄρης ζώοις ἐπιφωλεύοντα κέντρα*
*τὴν πρᾶξιν Ζηνὶ καὶ τὸν Κρόνον ὑπόγειον,*
*ῥιζοτόμους τεύχει.*

Haec in editione Gronoviana leguntur. Koechly in editione minore satis violenter haec scripsit:

*ἢν δ' Ἄρης ζώοις ἐπὶ φωλεύουσι τὰ κέντρα*
*ξυνὰ Ζηνὶ λαχὼν κατίδῃ Κρόνον ὄνθ' ὑπόγειον,*
*ῥιζοτόμους τεύχει.*

Axt et Rigler haec ediderant:

---

[19]) Plurali (*προνοίαις*) iure vix offenderis, quoniam simili forma *δόξαι* uti videmus Antiochum (p. 112 v. 26) et Manethonem (I 219, V 296).

[20]) Hoc pro *μυρίοισι* scripserat Dorvillius.

*ἣν δ' Ἄρης ζώοις ἔπι φωλεύων κατὰ κέντρα*
*τὴν πρῆξιν ζητῇ καὶ τὸν Κρόνον ὄνθ' ὑπόγειον.*

Nec dubito, quin primum quidem versum recte illi restituerint; in altero autem erravisse eos manifestum est, quoniam Martem actionem et Saturnum quaerere dici ridiculum est. Quamquam recte et *ὄνθ'* addidisse videntur et verbum aliquod in litteris illis corruptis (*ZHNI*) latere cognoverunt; quod iniuria Koechly neglexit. Atque apparet id reponendum esse verbum, quo Mars vitae conditionem aut dare (cf. I 76 *τὴν πρῆξιν παρέχων*, de Marte) aut decernere dicatur. Scribemus igitur *κρίνῃ*, quod apte hic dici comprobatur v. I 262:

*ὡρονόμου τε κρατῇσι, βραβεὺς τοῦ πνεύματος αὐτός.*

*Καὶ τόν* autem e verbo *κατιδεῖν* corruptela factum esse Koechly cognovit, quamquam non *κατίδῃ*, quod ille scripsit, sed *κατιδὼν* reponendum est, quod multo facilius fieri nemo est quin videat.

Krollius in dissertatione illa de oraculis Chaldaicis scripta p. 24 versum quendam e carmine theurgico sumptum affert, quem apud Proclum in Parmen. 895, 7 sic scriptum legimus:

*ἔννοιαι πατρὸς αἰδεύμεθα σε μου εἰλιμένον πῦρ.*

Atque Krollius, cum haec valde corrupta esse opinaretur, hariolatione, ut ipse dicit, magis quam emendatione usus novum pessimorum numerorum versum finxit, quem adscribere nolo. Nam ad verba quae traduntur corrigenda non tam mutatione quam recta litterarum distinctione opus est. Una enim sublata littera priorem versus partem sic restituimus:

*ἔννοιαι πατρὸς αἴδε, μεθ' ἃς ἐμὸν . . . .*

Pro *εἰλιμένον* scripseram *εἰλύμενον*; perfecit emendationem Wilamowitzius *ἰλλόμενον* scribens. Atque conferendum est *εἵλεῖτο φλόξ*, quod in carmine, quod inter bucolica traditur Megara inscriptum, legitur v. 104. Quis autem hic loquatur, ex altero eiusdem carminis frustulo cognoscitur, quod Proclus affert in Tim. 158a (Kroll, de orac. p. 28):

*μετὰ δὴ πατρικὰς διανοίας*
*ψυχὴ ἐγὼ ναίω θέρμῃ ψυχοῦσα τὰ πάντα.*

Orph. Argon. 769 sq.:
*ξυνῇ τ' ἐν Μινύῃσι διπλῆν ἀνενείκατο φωνήν,*

*ἤ μιν ἐπ' Αἰήταο μόλοι δόμον οἷος ἀπ' ἄλλων*
*μειλιχίοις στέρξοι τε παραιφάμενος ἐπέεσσιν,*
*ἠὲ μεθ' ἡρώεσσι, καὶ ἐς μόθον αὐτίκα λεύσσοι.*

Pro *μίν*, quod certe nullam in hac sententia vim habet, Gesnerus, Wielius, Abelius *ὅγ(ε)* scripserunt, Hermannus *οἷ*. Atqui hos velim conferas locos:

v. 1236 *ἀλλά μιν αὐτίκ' ἐγὼ πρόφρων ξεινήια πέμψω,*
*σῖτον καὶ μέθυ λαρὸν ἔχειν σύν τε*[21]) *κρέα πολλά.*
v. 777 *συθεὶς δ' ὅγε δεῖμα πέλωρον*
*ἔσκηψεν βασιλῆι περὶ φρένας, ὅς νιν ἔδοξε*
*παρθένου, ἣν ἀτίταλλεν ἐνὶ μεγάροισιν ἑοῖσιν,*
*Μηδείης κόλποισιν ἐν ἱμερτοῖσι συθῆναι*
*ἀστέρα παμφανόωντα δι' ἠερίοιο πορείης.*
v. 938 *ὥς κέ νιν Ἀγροτέρην μειλιξάμενοι πεπίθοιμεν.*
v. 1174 *ἤ μιν ἀποφθίσωσι καὶ ἰχθύσι κύρμα βάλωσιν*
*αἰνολεχῆ Μήδειαν, ἀποστρέψωσι δ' Ἐρινύν.*
v. 1194 *αὐτὰρ ἔπειθ' ὥς μιν Πλουτεὺς κυανότριχας ἵππους*
*ζευξάμενος κούρην ἐπεβήσατο δαίμονος αἴσῃ.*

En sex habes abundantis voculae *μίν* exempla; nam pro *νίν* *μίν* scribendum est, sicut scripsit Abelius v. 938. E quibus exemplis posteriora quidem tria recte fortasse ita explicantur, ut nomina quae sequantur appositionis loco addita esse dicantur[22]); quamquam v. 938 quidem hoc non sine dubitatione fieri potest. Sed priora illa tria a tali explicatione aliena sunt. Atque haec coniecturis eripere huic scriptori, qui toties *οἷ* vocula ita usus est, ut nihil ad sententiam faceret, nonne audacius est, praesertim cum nusquam sine vi fieri possit? An credimus pro *οἷ* vel *ὅγ(ε)* vel *ῥά τ(ε)* legi potuisse? Neque igitur quicquam mutabimus, sed scriptoris neglegentiam vel inscitiam agnoscemus.

Orph. Argon. v. 1245:
*μίμνομεν ἑσπέριοι· δαιτὸς γὰρ ἐδεύετο θυμός.*

Hanc vulgatam lectionem Abelius recepit prava in quarto trochaeo caesura admissa. Quae etsi ab hoc scriptore non prorsus aliena est, tamen et hoc loco et v. 933, ubi pro *ἀναιδέα κανθόν*

---

21) *σύν τε* Schneider pro *καί*.

22) Haec Abeli sententia fuisse videtur, qui vv. 938. 1174. 1194 voculam illam non tetigerit.

a Gesnero recte explicato e Wielii coniectura ille scripsit *ἀναιδέ' ἄκανθαν*, et v. 979, ubi eiusdem viri commento accepto scripsit *μέσση δὲ συαγριόμορφος*, vocabulum contra linguae leges formatum, pravis coniecturis debetur. Atque cum illis locis codicum lectiones servandae sint, hoc loco, quo in codicibus legimus *δ' ἐδεύετο*, facillima praesto est emendatio. Scribendum enim est duabus litteris additis *δ' ἐπεδεύετο*[23]).

Hymn. Orph. XLIV v. 4 haec legimus de Semele:

*ἣ μεγάλας ὠδῖνας ἐλάσσατο πυρφόρῳ αὐγῇ*
*ἀθανάτου τεχθεῖσα Διὸς βουλαῖς Κρονίδαο.*

Haec in codicibus leguntur; Wielii coniecturas ab Abelio receptas mitto. Vulgatam lectionem *ἀθανάτοιο τεκοῦσα* nimis languere nemo negabit. Neque eius generis verbum requiritur, quo pariendi notio iterum declaretur, sed id, ad quod dativus ille *πυρφόρῳ αὐγῇ* referri possit. Scribemus igitur:

*ἣ μεγάλας ὠδῖνας ἐλάσσατο, πυρφόρῳ αὐγῇ*
*ἀθανάτου φλεχθεῖσα Διὸς βουλαῖς Κρονίδαο.*

Neminem eo offendi puto, quod cum duobus unum coniungatur verbum nominibus, quorum utrumque in dativum casum declinatum sit; altero enim causam, altero instrumentum significari nemo non videt.

Hymn. Orph. LXXIII v. 6:

*ἐν σοὶ γὰρ λύπης τε χαρᾶς κλῇδες ὀχοῦνται.*

Haec, quae in codicibus extant, pro corruptis habeantur necesse est, quoniam quod *τέ* illi respondeat alterum desideratur. Hermannus igitur sic edidit:

*ἐν σοὶ γὰρ λύπης τε χαρᾶς τε κλῇδες ὀχοῦνται.*

Quo in versu lex illa, qua brevis vocalis finalis a quarto pede relegatur, neglecta Wielium offendisse videtur, qui haec proposuit ab Abelio recepta:

*ἐν σοὶ γὰρ κλῇδες λύπης τε χαρᾶς τ' ὀχέονται.*

Quae tamen ferri non possunt, non tam propter caesuram trochaicam in quarto pede admissam quam propter verbum *ὀχεῖσθαι*, quod quin de clavibus manu gerendis dici non possit, ne minimum quidem dubito. Qua de causa reicienda etiam

---

23) *Δέ οἱ ἵετο*, quod Hermannus scripserat, nemo probabit.

Ludwichii coniectura est, qui ad Procli hymn. I 3 proposuit *χαρᾶς τ' οἴηκες ὀχοῦνται.* Ac profecto, si hoc scripsisset is, qui hoc carmen composuit, non *ἐν σοί,* sed *ὑπὸ σοῦ* dicere debuit. Sed scribendum est *ἔχονται,* quo reposito apertum erit, quo e fonte hic versus fluxerit. Legimus enim apud Homerum (*H* 102):

*αὐτὰρ ὕπερθεν*
*νίκης πείρατ' ἔχονται ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσιν.*

Numeri autem illi parum elegantes, quos Hermannus restituit, ferendi mihi esse videntur sicut visi sunt Gerhardo (Lect. Apollon. p. 149) [24]).

Lithica v. 118:
*οὐκ ἴδον· ὀφθαλμοὶ δέ μοι ὀρνίθων ἀλάληντο.*

Haec in codicibus leguntur. Atque Hermannus, quem Abelius secutus est, cum contrarium eius, quod hic dici deberet, vulgata lectione enuntiari videret, pro *ἀλάληντο* scripsit *λελίηντο.* Perperam. Nam corruptelam in *μοι* latere numeri docent, quos laesos esse enclitica vox post caesuram trochaicam posita demonstrat. Ac praesto est emendatio facillima; scribendum enim est *μετ' ὀρνίθων.*

Quintus Smyrnaeus IV 568 sq.:

*ἐπεί ῥ' ἔτι νῆις ἀέθλων*
*ἵππος ἔην· γενεῇ γε μὲν οὐ κακός, ἀλλὰ θοοῖο*
*θεσπέσιον γένος ἦεν Ἀρίονος.*

Haec Zimmermannus edidit Koechlei auctoritatem secutus, qui, cum *μάλα* particula ante negationem collocata — nam in codicibus legitur *γενεῇ δὲ μάλ' οὐ κακός* — offenderetur, *γὲ μέν* pro *δὲ μάλ(α)* scripserat. Quod non minus quam *μοί* illud, quod in Lithicis modo sustulimus, contra legem illam positum est ab omnibus paene servatam, qua encliticum caesuram *κατὰ τρίτον*

---

[24]) Ceterum, ut *ἔχονται* scribatur, etiam duo suadent versus huic consimiles, ab eodem auctore procul dubio scripti: h. 62, 6

*ἐν σοὶ γὰρ βίοτος θνητῶν παμποίκιλός ἐστιν*

et h. 64, 5

*ἐν σοὶ γὰρ νηῶν πελαγοδρόμος ἄστατος ὁρμή,*

quibus versibus *ἐν σοί* illud idem fere esse quod 'penes te' ostenditur. Quo magis apparet *ὀχοῦνται* illic ferri non posse, *ἔχονται* autem e verbis illis Homeri ita sumptum esse, ut praepositioni illi nativa notio, quam servat apud Homerum, redderetur.

*τροχαῖον* sequi vetatur[25]). Neque vero omnino est, cur traditis verbis offendamur, quoniam *μάλα* particulae ante negationem positae exempla apud Homerum quidem non desunt; cf. *E* 407 *ὅττι μάλ' οὐ δηναιός, ε* 103 *ἀλλὰ μάλ' οὔπως ἔστιν, B* 241 *ἀλλὰ μάλ' οὐκ Ἀχιλῆι χόλος φρεσίν.*

Eodem, quo hoc loco, modo Koechly et Zimmermann erraverunt in libro nono, v. 208, quem sic scriptum ediderunt:

*χαζομένους· πολέες γε μὲν οὐκ ἀλέγοντες ἀνάκτων.*

In codicibus melioribus legitur *πολέες δ' οὐκ*, in deterioribus *δέ γε οὐκ, γέ* particula procul dubio a correctore quodam addita. Certe nulla in hac lectione auctoritas est, qua illud *γε μέν* comprobetur. Immo quin lacuna, quam deprehendimus, recte a Rhodomanno expleta sit, qui *δὲ καί* reposuit, dubium esse non potest. Neque enim in versus illos quos Koechly scripsit, ea cadit excusatio, quam in versu quodam Marcelli Sidetae valere videmus; qui in carmine illo, quod Herodae Attico fecit, haec scripsit v. 37:

*Ἡρώδεω· γλῶσσαν δέ τέ μιν καλέουσιν Ἀθηνέων.*

Hic enim versus in tertio pede caesura caret, dirimitur caesuris post secundam arsin et quartam. Sed Quinti versus illos ne eodem modo constructos esse putemus, vis obstat proclitica negationis.

Apollinaris 4, 12:

*ἄμμι τε τέκμαρ τὸ χρύσεον σέο φέγγος ὀπωπῆς.*

Sic scriptus hic versus in codicibus legitur praeter Oxoniensem, qui exhibet *τέκμαρτο.* Ludwichius e codice quodam Florentino recepit *ἄμμι τεῆς τέκμαρ χρύσεον;* sed quid *τεῆς* hic velit, cum iam adsit *σέο,* non intellego. Nec magis probatur,

---

[25]) Duos versus huic legi repugnantes inveni, apud Apollinarem utrumque. V. 61, 4 enim legimus:

*ἴλκαρ ἐμόν, τὸ καὶ οὔ τί ποτ' ἔλπομαι εἶναι ἀλήτης.*

76, 31:

*ὕδατα θηήσαντό σε, καὶ ῥίγησαν ἰδόντα.*

Haec utrum ferenda sint an corrigenda, non decreverim, priusquam codicum lectiones cognitas habeam. Ceterum Lith. v. 448 Hermannus *ποτ(έ)* falso posuit pro *τότ(ε).* Nec minus dubito, quam recte in Empedocli v. 17, 30 scribatur:

*καὶ πρὸς τοῖς οὔτ' ἄρ τέ τι γίγνεται οὔτ' ἀπολήγει.*

In codicibus legitur *οὔτ' ἄρ τι ἐπιγίγνεται.*

quod Ritterus scribi iussit, *τεκμαίροιτο*. Ego lectionem vulgatam ita servandam, ut nihil praeter accentus mutetur, scribendumque esse censeo:

*ἄμμι τετέκμαρτο χρύσεον σέο φέγγος ὀπωπῆς.*

Nam si hoc reponitur, et *τέ* particula, quae hoc loco inepta est, deletur et unice consentiunt verba virorum LXX haec: *ἐσημειώθη ἐφ' ἡμᾶς τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου, κύριε.*

# Index locorum.*)



*) In hunc indicem eos locos rettuli, quibus a lectionibus editionum illarum, quas in exordio huius dissertationis commemoravi, recedendum esse censui.

# VITA.

Natus sum Maximilianus Rudolfus Keydell Magdeburgi a. d. III. Kal. anni 1887 patre Carolo, matre Minna e gente Iungmann, quos adhuc vivere gaudeo. Fidem profiteor evangelicam.

Litterarum elementis imbutus per novem annos frequentavi paedagogium monasterii Beatae Virginis Magdeburgense. Maturitatis testimonium adeptus vere anni 1905 Bonnam me contuli, ut studiis philologicis operam darem. Autumno anni insequentis Berolinum petivi, ubi mihi contigit, ut in proseminarii philologici ordinem primum reciperer. Sed eiusdem anni exitu diutino morbo implicatus per quindecim menses litterarum studiis abstinere coactus sum. Ad quae cum corroborata valetudine vere anni 1908 denuo me contulissem, primi ordinis proseminarii philologici Berolinensis per bis sex menses, tum seminarii per totidem menses sodalis ordinarius fui. Exercitationibus historicis ut interessem, benigne permiserunt Hirschfeld et Ed. Meyer.

Docuerunt me viri doctissimi Brinkmann, Buecheler †, Deubner, Karo, Koenig, Loeschcke, Meinhold, Nissen, Solmsen †, Wiedemann Bonnenses; Diels, Erdmann, Hirschfeld, Meister, Ed. Meyer, Muench, Norden, Riehl, D. Schaefer, Hub. Schmidt, W. Schulze, Stumpf, Vahlen, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff, Woelfflin Berolinenses. Quibus viris omnibus gratias ago maximas, imprimis vero Wilamowitzio et Nordeno, qui cum in ceteris studiis tum in hac dissertatione conscribenda consilio suo liberalissime me adiuverunt.

Examen rigorosum habitum est prid. Non. Iul.